DE
ANSELMO LAUDUNENSI
SCHOLASTICO

(1050-1117)

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

G. LEFÈVRE

Aggregatus Universitati

necnon in gymnasio Laudunensi philosophiæ professor.

« Πάντως φιλοσοφητέον »

(Arist., *Fragm.*, ed. Didot, p. 47, a.)

EDEBAT MEDIOLANI AULERCORUM

C. HERISSEY

1895

DE ANSELMO LAUDUNENSI
SCHOLASTICO
(1050-1117)

DE
ANSELMO LAUDUNENSI
SCHOLASTICO

(1050-1117)

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

G. LEFÈVRE

Aggregatus Universitati
necnon in gymnasio Laudunensi philosophiæ professor.

« Πάντως φιλοσοφητέον »
(Arist., *Fragm.*, ed. Didot, p. 47, a.)

EDEBAT MEDIOLANI AULERCORUM
C. HERISSEY

1895

Doctissimo et Illustrissimo viro

B. HAURÉAU

ex Academia Inscriptionum.

GRATI AC REVERENTIS ANIMI HOC PIGNUS

D. D.

Humillimus servus

G. L.

PROŒMIUM

Quid mihi, in hoc opere suscipiendo, voluerim breviter proferendum esse censeo.

Imaginem viri, gravitate morum sane probabilis, prudentia necnon consilio prædití, cæteris ætatis suæ magistris fama longe præstantis, diligenter effingere haud indignum proposito esse putavi.

Præterea, quibus de causis in urbem Laudunum tot et tanti discipuli, e cunctis fere orbis latini regionibus, ad audiendum Anselmum concurrerint, quibus disciplinis apud eum se dederint, qua denique ratione docendi Scholasticus ipse usus sit, cum quærerem ac definire in spe haberem, non ad Anselmum solum spectare, sed etiam ad illustrandos hujusce temporis animos aliquid valere, hæc omnia mihi videbantur.

Ceterum si, hac ipsa ætate qua, nedum philosophia floreret, rudis et vix inchoata exsisteret,

illos qui philosophiam tractent sæpe curiosius id facere quam catholicæ fidei devotos deceat, Anselmus senserit et, simul ac animadverterit, perniciei habuerit, philosophis eum annumerari profecto non licebit.

At si Anselmus ille cui ratiocinari omnino displiceret et qui, a philosophia, discipulorum animos averteret, jam ætate provectus, de perobscuris lubricisque quæstionibus, de libertate ac de omnipotentia Dei, Ruperto monacho philosophis ipso inimicissimo lacessente, invitus disputaverit, nonne ambo mirum præbuerunt exemplum ex quo noscere est eos errare qui nulla philosophia egere putent et frustra conaturos qui eam depellere nitantur? Inde voti compos esse mihi videor cum fit verum illud aristotelium, in fronte hujusce libri inscriptum : « πάντως φιλοσοφητέον. »

DE ANSELMO LAUDUNENSI
SCHOLASTICO
(1050-1117)

CAPUT PRIMUM
DE ANSELMI VITA

Anselmus seu Ansellus quo tempore natus sit non plane dilucidare possumus ; quod quidem circa annum 1050 versari videtur. Verum licet hoc tempus, ex « Verbi abbreviati » loco laudato, notent auctores operis cui adscribitur titulus « Rerum gallicarum et francicarum scriptores (1) », de hoc anno 1050 Petrus Cantor siluit.

Quam tamen opinionem a vero parum discedere arbitramur ; tempore enim quo obiit, id est anno 1117, Anselmus super quadraginta annos docuerat (2). Cum autem matrem superstitem habue-

(1) « Anselmus sive Ansellus in pago Laudunensi, circa annum 1050, de pauperibus et rusticanis parentibus natus, ait Petrus Cantor... — (*Rer. Franc. script.*, t. XII, p. 243, nota). »

(2) « Docuit Lutetiæ et Lauduni per quadraginta et ampliu annos (Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris*, t. II, p. 47). »

rit (1), haud immerito nobis assentieris si dixerimus Anselmum non multo ultra sexagesimum annum neque multo infra vixisse. Huic quidem sententiæ congruunt dicta a Petro Abaelardo qui narrat se, anno 1113, postquam Laudunum pervenisset ut Anselmi auditoribus (2) annumeraretur, in conspectu senis adfuisse.

Ex urbe Laudunensi aut saltem e vico vicino Anselmus est oriundus (3). Si enim illum Lutetiæ (4) natum esse putat Baronius, eo sane in errorem inductus est quod in hacce urbe forte docuit Anselmus. Baronii vero sententiam confringunt illa quæ a Petro Cantore de Anselmi nepotibus (5) sunt memorata. Eadem ac parentum Anselmi, nepotum fortuna fuit. Quæ si diversa fuisset, quid fieret

(1) « Scholares magistri Anselmi mentiti sunt matri suæ, tribus diebus post obitum suum, illum non fuisse mortuum, ne ipsa simul subito dolore moreretur, dicentes illum ad archiepiscopum esse profectum (Mss. n° 3,203, Biblioth. nation., fol. 168 v°, apud Hauréau. — Notes et Extraits des manuscrits latins de la Bibliothèque nationale, t. I, p. 181). »

(2) « Accessi ad hunc senem cui magis longævus usus quam ingenium vel memoria famam comparaverat (Petri Abaelardi Epist. I, *de calamit. suis*, ap. Migne, Patr. lat., t. 178, p. 123). »

(3) Cf. suprà, p. 2. n. 1.

(4) Auctor capituli de Anselmo Laudunensi (*Hist. Litt. de la France*, t. X, p. 171) hanc opinionem a Baronio esse allatam testatur. Nos quidem in Annalibus ecclesiasticis Baronii (t. XVIII, p. 296, ad annum 1117) inter Pagii notas legimus Anselmum Lutetiæ docuisse : quo autem loco magister ille natus sit neque Baronius neque Pagius scripsisse nobis videntur.

(5) « De pauperibus et rusticanis viris nati sunt (Pet. Cant. *Verb. abbrev...*, c. 47; ap. Migne, Patr. latin., t. 205, p. 151). »

de responsione senescalcho Stephano de Garlanda ab Anselmo data, cum ille hujus nepotes vellet « promovere et milites facere nobilibusque puellis in matrimonium copulare (1) ? » Ex illis argumentis omnibus patet Anselmum humili loco natum. Quæ quidem vaga aut incerta videri possunt. Ampliorem de hisce notitiam habebit qui non aspernanda æstimabit narrata in marginibus et in oris inferioribus duorum manuscriptorum « Verbi abbreviati », auctore Petro Cantore (2) : e quibus pater Anselmi

(1) « Placet nobis exemplum magistri Anselmi. Cujus nepotes cum vellet Stephanus senescalchus Franciæ promovere et milites facere, nobilibusque puellis in matrimonium copulare, ait : « Absit! domine ut hanc rem facias. Potius maneant in eadem conditione et vocatione in qua vocavit eos Dominus, ne extollantur in superbiam. De pauperibus et rusticanis viris nati sunt. Tales ergo rogo permaneant. Mallem enim me nunquam Sacram scripturam legisse quam eos sic promotos humilitatem reliquisse ». (Petr. Cant. *Verb. abbr.*, c. 47, ap. Migne Patr. lat., t. 205, p. 151 ; ap. Galopinum editorem, p. 125.)

(2) « *Margines, imo oræ inferiores Camberonensis et Marchianensis mss. prosequuntur hoc exemplum quod Vedastinum in textu habet* (Vide suprà n. 1) *hoc modo* : « Ad cujus (sc. Stephani senescalchi) pedes cecidit magister Anselmus, tecto et involuto capite, petens ut eum in petitione unica et digna exauditu exaudiret (Illa enim tempestate, pro occisione Laudunensis episcopi justos cum impiis sententia prædicti senescalchi involverat, nepotesque magistri Anselmi cum aliis incarceraverat.) Quem exauditum videns agnoscensque quod esset magister Anselmus, capite ejus venerabili detecto, ait : « Miser ego et infelix homo, nihil, inquit, sum quod vir tantus, magister Anselmus, speculum Ecclesiæ, lux sacræ scripturæ, hodiè cecidit ad pedes meos, cum in omni injuria a quocumque illata me huc usque vindicare possem, ab hac contumelia mihi illata a tanto viro non potero me vindicare! Non potest enim fieri quin ciderit ad pedes meos. Quin etiam, cum de promotione ejus aliquando haberetur sermo, dixit se filium diaconi esse qui tamen ante subdiaconatum de legitimo matrimonio fuit. Maculam etiam pollicis ostendit, dicens :

clericus aut diaconus fuisse videretur : at tamen de justa uxore natus reputari posset Anselmus, ordinibus a patre nondum susceptis. Si quidem, defuncta uxore, ad subdiaconatum promotus fuisset, huic opinioni nihil jure objiceretur. Quo autem pacto fieret, si ita res se habuisset, ut Anselmi auditores, caute et remisse, magistri mortem matri

quod si crucifixus esset in altari, illo scandalizaretur populus, et ob hoc non posse se eligi ostendit. » Qui tamen post electus est in Cantuariensem archiepiscopum (Petr. Cant., *Verb. abbrev.;* ap. Migne, t. 205, p. 443; ap. Galopinum editorem, p. 438) ». A vero discedere hæc narratio nobis non videtur. Gualdrico Laudunensi episcopo a suis concivibus cæso, Anselmus a Canonicis fratribus forte missus est ad regem ut de episcopo eligendo colloqueretur. Cum Stephano de Garlanda, Franciæ cancellario qui posteà senescalchus est factus (Luchaire. *Louis VI*, p. 303), magister Laudunensis tunc sermonem habere potuit. Constat placuisse Stephano referendario et Ludovico regi Hugonem, Ecclesiæ Sanctæ Crucis Aurelianensis decanum, ad sedem Laudunensem evehi ut Stephanus, loco Hugonis, Sanctæ Crucis Aurelianensis decanus ipse eligeretur. De quo testatur Guibertus de Novig., his verbis : « Igitur, exacto his modis episcopo, de eligendo altero regias aures appellere cœperunt, Datur eis, nulla electione præmissa, quidam Aurelianensis Decanus cujus decaniam, quia referendarius regis quidam Stephanus ambiebat qui episcopus esse non poterat, ipsi a rege episcopatum obtinuit, decaniam que suscepit (Guib. de Nov., l. III, c. 15. p. 514, D. 2). »

At contra has res gestas verba Petri Cantoris non repugnant. Rex enim et cancellarius magistro Anselmo episcopatum deferre se velle forsitan mentiti sint, cum non dubitarent quin, sive motu propriò impellente, sive senescalchi consilio cognito, id munus haud acciperet. Canonico inclytissimo et gratissimo civibus pontificalem dignitatem abnuente, Hugo Aurelianensis a populo Laudunensi libentius exciperetur.

Quæ cum ità fuerint, non est quod miremur senescalchum, quasi in solutionem debiti et animo benevolo erga Anselmum, nepotes ejus nobilibus puellis matrimonio conjungere voluisse.

Anselmus procul dubio « ad pontificales cathedras pluries vocatus, nullatenus acquievit. » (Eg. Bul. *Hist. univ. Paris.*, t. I. Catalog. ad nom. Anselmi.) Ant. Belotte, in Catalogo Decanorum Laudunensium ait « Anselmum, summa animi demissione, episcopatum

ejus nuntiavissent (1)? Re vera id fictum atque compositum ducere possumus aut etiam ad alium Anselmum, nescio quem, pertinens, propter frequentiam nominis hujus, illis temporibus. Sed duæ

Laudunensem strenuè recusasse. » (Ap. Guib. de Novig; edidit d'Achery, p. 819.)

Inde verisimilior fit Petri Cantoris narratio. Quæret jam aliquis quomodo « post, in archiepiscopum Cantuariensem Anselmus sit electus ? » Nonnullis videbitur Anselmus Beccensis in locum Laudunensis hic nobis dari. Beccensis autem qui Lanfranco in Cantuariensem archipræsulatum successit, mortuus est anno 1109, antequam Ludovicus rex Laudunum venisset. Quod si post annum 1112, Cantuariensis cathedra vacavisset, magister Laudunensis ad eam vocari potuisset. Compertum vero habemus Cantuariensem archiepiscopum quemdam anno 1114 electum fuisse. « Anno 1114 Rodolfus, episcopus Roffensis in Anglia, Anselmi Laudunensis olim discipulus, eligitur in Cantuariensem Archipræsulem 6 kal maii. » (Eg. Bul. *Hist univ. Paris*, t. II, p. 43, ad annum 1114.) Cognoscenti quid commercii cum Anglis Anselmo Laudunensi semper fuerit, nil mirum est si magister prius fuerit archiepiscopus electus, quàm discipulus et si, ab Anselmo recusante Rodolfus, Cantuariensi populo et capitulo, fuerit commendatus.

Variis ex causis, Petro Cantori de Anselmo Laudunensi disserenti maxima fides est adhibenda. Lutetiæ enim, circà annum 1162 theologiam profiteri cœpit non sine laude, qui Tornacensis primum, deinde Parisiensis, episcopus est electus, nec vero in ulla sede est confirmatus, sed Cantoris (ob id cognomine donatus) partes in Ecclesia Parisiensi sustinuit. Tunc, Anselmi nostri memoriam, in scholis Parisiensibus, nondum periisse sanè probabile est. Adde Petrum Cantorem in abbatia Longi Pontis propè Suessionem, ultimos vitæ annos degisse : ibi testimonia et documenta, quibus Laudunensis Magistri vita illustraretur, in promptu habuit. Quo certiores facti sumus narrationem, quam imperfectam unum Vedastinum manuscriptum in textu prodit, dum Camberonensis et Marchianensis margines et oræ inferiores solùm eam referunt, Petro Cantori tribuendam esse. Cum librum, cui nunc inscribitur « Verbum abbreviatum », Lutetiæ edidisset, nonne posthac cœnobiali vitæ in monasterio Longi Pontis consecratus, quidquid de Anselmo allatum sibi novissimè erat, in marginibus hujus libr ipse scripsisse potuerit ?

(1) Vide supra, p. 2, n. 1.

narrationes inter se forsitan non repugnent. Cum eo tempore, circa annum 1050, nonnulli sacerdotes invitis canonibus (1) nuberent, pater Anselmi, qui sacerdotium nunquam accepit, vitam conjugalem, annuente uxore, repudiando, ecclesiasticos ordines cum diaconatu forte est consecutus. Denique clericatum, invitis legibus, adipisci potuit. Quæ res si ita evenisset, facile intelligeremus Anselmum, e patris sui statu episcopatum abnuendi causam invenisse : quod difficillime interpretaremur si pater, vere orbus uxore ordines recepisset.

Utcumque hæc res decernitur, certum est Anselmum fratrem habuisse Radulfum (2), et cum eo conjunctissimum vixisse patet : nam et una theologiæ variarumque artium rationem docuerunt, et scholæ Laudunensi, Anselmo mortuo, Radulfus successor præfuit. Nec nepotibus caruit (3) ; unde Anselmi vel fratrem alterum vel sororem unam aut etiam complures exstitisse haud injuria conjiciamus. In urbe Laudunensium aut in vicinis locis habitabant nepotes qui, post occisum episcopum Gual-

(1) « Erat ea tempestate (sc. cum Guibertus puer adhuc esset) nova super uxoratis Presbyteris Apostolicæ sedis invectio, unde et vulgi Clericos zelantis tanta adversus eos rabies æstuabat, ut aut eos Ecclesiastico privari beneficio, vel abstineri sacerdotio, infesto spiritu conclamarent. » (Guib. de Nov. *De vita sua*, l. I, c. VII ; ed. Acher., p. 462, A. 2.)

(2) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 189.

(3) Cf. suprà, p. 3 ad not. (1).

dricum (1), etsi insontes, comprehensi fuerunt. Cum honores illis oblatos renueret, non solum neglexisse eos non est arguendus : sed etiam sagacem benevolentiam Anselmus exercuit. Quod filii mortem celare matrem vere necesse duxerunt discipuli indicio est nobis, magno ævi spatio amorem matris in filium non dilapsum fuisse ; inde dicere licet matrem a filio fuisse valde dilectam.

Quo modo et quot annos natus, missus sit ad scholam cœnobialem Beccensem (2) nescimus. Nonne humilibus parentibus opes defuerunt quibus tam procul filium alerent? Et sane inter externos alumnos computari debet quando monachus Beccensis non est factus. Famam vero et splendorem hujus scholæ atque præclarum gregem illustrium virorum ex ea exeuntium perpendentes, pro certo habebimus cœnobium illud inter ea numerandum quæ juvenes, missos seu a parentibus seu ab episcopis, susciperent et variis disciplinis exercerent. Sed unde fit ut Anselmus cujus parentes, egestatis causa, multas impensas tolerare nequibant in hanc inclytam scholam utpote alumnus sit receptus ? Constat quidem nonnullos episcopos, tunc temporis, curam

(1) Cf. suprà, p. 3 ad not. 2.

(2) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 171. — Cf. infrà p. 9 ad not. 3. — Cf. etiam Hauréau ; *Hist. de la phil. scol.*, t. I, p. 295. — Cf. etiam : Ch. de Rémusat. *Abélard*, t. I, p. 35, in loc. prolat. infrà p. 13 ad not. 1.

adhibuisse ut eruditis sacerdotibus diœcesem ditarent (1). Cum vero episcopales scholæ languescerent, in monasteria, ut externos, adolescentes animi dotibus præditos mittebant. Quod si Anselmi pater diaconus sit factus, concedendum nobis est fortunam filii illa dignitate crevisse : fortasse etiam et pater precibus et filius meritis, ad optatam electionem, mentem episcopi inclinaverunt (2).

Tempore quo Anselmus noster ad Beccensem scholam est missus, Lanfrancum inclyto illi cœnobio admodum præfuisse putamus ; nam anno demum 1070 in Cantuariensem sedem est evectus (3). Sed Anselmus ille qui anno 1093, Lanfranco, in Cantuariensem sedem episcopalem successit (4)

(1) Cum hæ scholæ (sc. cœnobiales) monachis et oblatis solummodo edocendis institutæ fuissent, quia tamen episcopi et alii Ecclesiarum prælati suas exercere neglexerunt, aut exerceri non curarunt, nec habebant laïci et sæculares quo liberos suos commode mittere possint ad eruditionem, eos præsertim quos ecclesiasticis ordinibus destinabant, processu temporis, intra monasteria ipsa recipi et hospitari postularunt, aut ad cœnobiales scholas externos miserunt. (Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris.*, t. I, p. 80.)

(2) Ecclesiæ Laudunensi tunc præerat Helinandus « vir opum ditissimus (Guib. de Nov., p. 490, D, 1) » quamvis pauperis domus et obscure progenitus (Id., p. 496, D. 1) » qui episcopatum ab anno 1052 ad annum 1096 exercuit. (Devisme. *Hist. de Laon*, t. II, p. 282.)

(3) « Anno Dominicæ Incarnationis 1070, Lanfrancus, Cadomensium primus abbas, divinitus Anglis institutor datus est et, honestissima electione ac fideli consecratione, Cantuariensis archipræsul IV Kal. septembris inthronizatus est. » (Orderici Vitalis. *Hist. eccles.*, parte II, lib. IV, 10 ; ap. Migne, t. 188, p. 328, B).

(4) « Anselmus Becci factus est monachus anno ætatis suæ 27. » (Johannis Sarisberiensis. *De vita Anselmi*, part. II, cap. II ; ap. Angl. sacr., t. II, p. 156.)

jam docere cœperat. Etenim regulæ sancti Benedicti, in hoc monasterio, ab anno 1060 (1), subditus, prior ejus domus anno 1063 (2) est electus. Auctoritas Anselmi multos per annos apud numerum discipulorum ingentem plurimum valuit: cujus gratiæ tam vivide florentis vestigia invenimus apud Laudunensem scholasticum, non solum in scriptis (3), sed etiam in opinionibus et in regimine morum (4). Anselmum Laudunensem ab Anselmo Beccensi imprimis discretum fuisse, aliud indicium tenemus scilicet frequentissimas necessitudines quæ scholam Laudunensem cum Britannia conjunxerunt. Ut infra videbis (5), Angli permulti et quidem haud ignobili loco orti, Anselmum nostrum fre-

(1) Cf.: Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris.* ad annum 1089, t. I, p. 482.

(2) « Lanfrancus, Ecclesiæ Becci prior, cum Sancti Stephani Cadomi accepisset regimen, Anselmus factus est prior Beccensis Ecclesiæ quæ tribus annis fuerat sine prælatione. » (Roberti de Monte. *Accessiones ad Sigibertum, ad calcem op. Guib. de Nov.*, edit. Acher., p. 724, D, 2; ad annum 1063.) — Cf. etiam Johannis Sarisb., de vita Anselmi Cant., part. II, cap. 3; ap. Angl. sacr., p. 156.

(3) « Plures hoc Anselmi nomine eadem tempestate insigniti: rempe Anselmus Cantuariensis cujus ille (sc. Laudunensis) auditor extitit. » (Acher. *Not. et observ. ad Guib.*; ap. *Guib. de Nov. opera*, p. 465, D, 1.) — « ..... Glossæ ubi multa, præcipue ex Anselmo Cantuariensi magistro suo congessit (sc. Anselmus Laudunensis)..... (Mss Sancti Ebrulfi, cat. 78, laudat. ap. *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 171.) — Vide infrà, p. 47 qua ratione furti cujusdam auctorem perquiri Anselmus jusserit.

(4) Erga discipulos mites pariter fuerunt Anselmus Beccensis et Anselmus Laudunensis. Cf. infrà, p. 69; Anselmi Cantuar. epistol. laudat. ab Eadmero (*de Vita Anselli.* Anselmi opera, édit. Gerberon, l. I, p. 81). Quæ epist. legitur, ibid., p. 400.

(5) Cf. infrà, cap. 3, passim.

quenti corona cinxerunt. Sane, scholasticus cum Gualdrico episcopo (1) iter fecit in Britanniam, sed ex hac regione auditores venerant antequam Gualdricus fieret episcopus Laudunensis et procul dubio, ab illis vel forsan ab ipso Cantuariensi archiepiscopo, Gualdrici indignitatem cognovit ita, ut postea eum ad episcopalem dignitatem promovendum non existimaret, nec ab eo eligendo cleri populique animos avertere dubitaret (2).

Quamdiu mansit Anselmus in cœnobio Beccensi? Ad id respondere nequimus cum ignoremus quo tempore huc advenerit et nesciamus quando exiverit. Sed certo indicio deficiente, per probabilia inducere fas est. Verisimile videtur eum post annum 1060 ad Beccense monasterium esse missum ; nam, circa annum 1050 natus, et anno 1117, postquam super quadraginta annos docuerat, defunctus, sane antequam tricesimum ætatis suæ annum ageret, jam docendi initium fecerat. Non arbitramur eum primum, Anselmi Beccensis et Manegoldi instar (3), vagantium scholasticorum vitam

(1) Cf. Guib. de Novig., *de Vita sua*, l. III, p. 500, A et B., 1.

(2) « Cum igitur omnes assensum in ejus (Sc. Gualdrici) susceptionem dedissent, solus magister Anselmus..... ab ejus electione dissentit. Ipse plane *certis auctoribus* ejus noverat qualitatem, cum nos, licet inviti, prosequeremur ignotum. » (Guib. de Nov., op. cit., p. 498, B, 2.)

(3) Eadmeri, *de Vita Anselli*, ap. Anselmi opera, edit. D. Gerberon.

egisse. Talis opinio notissimæ hominis gravitati nullo modo congruit.

Lutetiæ forte scholam primo habuit (1). Hæc verba Bulæi « Lutetiæ primum litteris operam dedit » interpretari licet Lutetiæ Anselmum studia absolvisse, antequam magister ipse evaderet ; nisi forte litteras sit professus priusquam philosophiam doceret (2).

Eo tempore nullas intra fines libertas docendi continebatur. Posterius tantum, id est circa medium duodecimum sæculum, impetranda fuit ab ecclesiastica potestate licentia docendi (3). Ex dictis ab auctoribus « Historiæ litterarum apud Gallos », anno 1076 (4) Lutetiam primum venit Anselmus. Apud « Rerum Gallicarum et Francicarum

(1) « Lutetiæ primum litteris operam dedit : posteà ipsemet, magni nominis fama, Philosophiæ professionem exercuit : qua in disciplina discipulum habuit inter alios Guillelmum Campellensem. Deinde secessit Laudunum.....» (Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris.*, t. I, Catalog., ad nom. Anselmi.) — Et Ibid., t. II, p. 47. Vide suprà p. 1 not. (2).

(2) Canonicus quidam Parisiensis, nomine Anselmus seu Ansellus, anno 1095 cum militibus Christi Hierosolymam perrexit, qui, anno 1109, Sanctæ Crucis fragmentum, ad episcopum Parisiensem, misit. Hujusce Anselli vita breviter describitur in libro dicto : *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 400 et ssq.

Nobis tamen non videtur, nullo auctore eum scholastici partes sustinuisse dicente, fuisse ille magister qui Lutetiæ professus sit et Guillelmum Campellensem discipulum habuerit.

(3) Cf. Ch. Thurot. *Organis. de l'ensgt. dans l'Univ. de Paris au moyen âge*, p. 8.

(4) Cf. *Hist. litt. de la France*, t. IX, p. 282, 284, et t. X, p. 171 et 307.

scriptores », in notis, legitur Anselmum, primo theologiam Lutetiæ docuisse ; de litteris ac de philosophia non agitur (1). Quæ vero Otto Frisingensis, vaga et incerta oratione, disseruit de transmissa per ævum sapientia, æque de Beccensi Anselmo ac de Laudunensi, interpretari licet et eodem modo loqui potuisset de Lutetiæ scholis atque etiam de aliis omnibus (2). D. Felibianus qui in « Historia Lutetiæ » dicit Guillelmum Campellensem fuisse Anselmi auditorem, illum hujus disciplinam Lutetiæ assecutum esse non arbitratur (3).

Attamen Etienne Pasquier, cum Bulæo consentiens (4), non dubitat quin Anselmus inter primos

(1) « Quadraginta, ut ferunt, annis theologiæ docendæ, summa cum laude, operam dedit, primùm Parisiis, deinde Lauduni. » (*Rer. gall. et franc. script.*, t. XII, p. 243, not.)

(2) « ... Deinde eam (sc. sapientiam) ad Romanos sub Scipionibus, Catone et Tullio et præcipuè circà Cæsarum tempora, poetarum grege diversa carmina concinente, ad post ad ultimum in Occidentem, id est ad Gallias et Hispanias, nuperrimè diebus illustrium doctorum Manigoldi et Anselmi translatam apparet. » (Ottonis Frising *Chronicon*, prol. in lib. V.)

— In tomo IX libri cui adscribitur. *Histoire. litt. de la France* (p. 282) hanc laudem Anselmo Cantuariensi ab Ottone Frisingensi tributam fuisse auctor non dubitat.

(3) Cf. DD. Félibien et Lobineau. *Hist. de Paris*, t. I, p. 144, Paris 1725. — Contra cf. infra, c. III, p. 76.

(4) « Aussi est-ce la vérité que l'on ne faisait, en ce temps-là (scil. Ludovico VII regnante), exercice des lettres et des leçons qu'en la maison épiscopale et ainsi l'apprenons-nous de Pierre Abélard... Auquel lieu y avoit adonc deux grands précepteurs, Maître Anselme qui lisoit en la Théologie et Guillaume de Champeaux, autrement de Campellis, archidiacre de l'Eglise de Paris, en philosophie, qui avoit pour écolier Pierre Abélard. » (Et. Pasquier. *Rech. de la France*, l. III, c. XXIX, p. 244.)

numerandus sit qui Lutetiæ præclare docuerint, cui opinioni assentitur Ch. de Remusat (1). Errat vero idem Pasquier qui censet hæc ineunte duodecimo sæculo evenisse. Eo enim tempore Anselmum Lauduni fuisse mox videbimus (2).

Manegoldus seu Manegaudus de Lutenbach qui « ab anno 1106, titulo præpositi, Marbacense monasterium gubernavit » (3) reputatur magister Lutetiæ exstitisse eodem tempore quo Anselmus noster (4). Habuitne socium Anselmum sicuti « Historiam litterarum apud Gallos » legentibus verisimile videretur? Certum de hoc testimonium afferre nequimus. Vere scimus Manegoldi filias, cum ipse adhuc in Germania maneret, quibusdam pueris instituendis operam navasse. Quæ puellæ, necnon ac Manegoldi uxor, Scripturas penitus hauserant (5). Sed forte tantum de professione cate-

(1) « Le maître qui tenait le sceptre de cette science (hic de theologia agitur) était Anselme de Laon. Né dans la première moitié du XI^e^ siècle, après avoir étudié sous Anselme de Cantorbéry, il avait commencé lui-même à enseigner à Paris et Guillaume de Champeaux était un de ses disciples. » (Ch. de Rémusat. *Abélard*, t. I, p. 35.) — Cf. ejusdem, op. cit., not. ad pag. 11.

(2) Vide infra, p. 14.

(3) Martenne. *Ampliss. collect*, t. I, p. 282, 283, 287.

(4) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 171.

(5) « His temporibus florere cœpit in Teutonica terra Manegoldus philosophus, divinis et sæcularibus litteris ultra coætaneos eruditus. Uxor quoque ejus et filiæ, religione florentes, multam in Scripturis habuere notitiam et discipulos proprios filiæ ejus prædictæ docebant. » (*Chronic. Richardi Pictav.*, ap. D. Martenne; *Ampl. collect.*, t. V, p. 1169, c.)

chismi agebatur. Quod autem Lutetiæ laboris socios habuit, Anselmum ex illis fuisse nullo indicio patet.

Anselmum Lutetiæ mansisse, licet haud procul a vero appareat, non firmis ac certis testimoniis probatur (1). Utrum philosophiam vel theologiam unice, an primo philosophiam et postea alteram scientiam docuerit, in incerto quoque judicium versatur. Quod si revera Parisiis professus est, diu in hac urbe commoratus est cum, ut ait Balæus, in cathedrali ecclesia, decani dignitatem adeptus, anno tantum 1089 (2) Laudunum venerit, Guillelmoque Campellensi scholam Pariensem regendam tradiderit.

In patrios fines reversus est, natale solum non jam relicturus præterea quod quædam itinera, casu impellente, fecit (3). Tunc Helinandus adhuc erat episcopus Laudunensis. Ille, (nisi decepti fuimus specie veri), Anselmum quem ad scholam cœnobialem Beccensem ipse miserat, non mirum si postea episcopali scholæ præposuerit. Eo tempore deficiebant boni magistri. Idcirco, quamvis

(1) Contrà : « Hic (sc. Anselmus) fere per totam vitam Lauduni sacras litteras docuit. » (Marlot. *Metrop. Remens. Hist.*, t. I, p. 284.)

(2) « Eodem anno (quo obiit Lanfrancus et Anselmus Beccensis, Cantuariensis archiepiscopus est electus), Anselmus, Laudunensis Decanus Ecclesiæ factus, scholam Parisiensem Guillemo Campellensi reliquit. » (Eg. Bul. *Hist. univ. Paris*, ad annum 1089, t. I, p. 482.)

(3) Vide infra, p. 19. — Cf. etiam, p. 27.

turba juvenum, in primis duodecimi sæculi annis, Parisienses scholas replerent et postea per totam Galliam dilaberentur, nobis ante oculos versetur scientias, ad finem undecimi sæculi, adhuc languescere et fere omnibus locis ab ineptis magistris tradi (1). Miro igitur et nequaquam infausto casu Ecclesiæ Laudunensi hæc fortuna evenit ut scholasticum reciperet in Beccensi schola edoctum et, quod majus et illustrius erat, forte Lutetiæ nuper, non sine laude optima, professorem.

In postero capite constitutionem scholæ, studiorum rationem et vias, atque alumnorum numerum et genus sedulo introspiciemus.

Jam pridem compertum habemus rem Anselmo bene successisse cui mores integri et recta indoles, apud Capitulum et ipsos laudunenses cives, variis temporibus, laudem et auctoritatem compararunt; qua de re testimonia firmissima producemus. Eximia profecto gratia pollebat Anselmus apud Capitulum et Episcopum. Cujus rei indicia nobis sunt munera Archidiaconi et Decani quæ ille adeptus est. Invitis auctoribus duorum manuscriptorum

(1) « Erat paulo ante id temporis et adhuc partim sub meo tempore tanta Grammaticorum raritas, ut in oppidis penè nullus, in urbibus vix aliquis reperiri potuisset; et quos inveniri contigerat, eorum scientia tenuis erat, nec etiam moderni temporis Clericulis vagantibus comparari poterat. » (Guib. de Novig. *De vita sua*, l. I, c. IV, éd. Acher., p. 460, B, 1.)

bibliothecæ Laudunensis (1), Decanus erat Anselmus ante annum 1110. Etenim infra chartam regiam anno 1109 scriptam signum ejus vidimus, cum titulo Decani, juxta sigillum Guillelmi de Garlanda, appositum (2). Tempore autem quo electus est episcopus Gualdricus, anno 1106, hanc dignitatem nondum receperat : namque a Guiberto de Novigento vocatur magister, scholasticus, nunquam autem Decanus.

Ingelranno episcopo mortuo, anno 1096, quem, si credas Guiberto de Novigento, « ad tuenda jura Ecclesiæ in Helinandi collatione teterrimum » fuisse censebis (3), duo archidiaconi Laudunenses « per mutuas eligentium contentiones in cathedram fuerant evecti, Gualterius scilicet et Ebaldus ; sed Apostolicæ sedis judicio sunt ejecti. » Tertius quidam candidatus, ipsa die dominica qua putabat se legatos regios instituturos, « mortuus in Ecclesia sistitur in qua sibi cathedraticum a clero et populo accepturus videbatur (4). »

Tum vero ad privatam perniciem et publicam

(1) Cf. ms. nº 483 Bibliothecæ urbis Laudunensis, Catalogue des Doyens depuis l'incendie, p. 1, incerti antoris, incerto anno.

Cf. etiam ms. nº 549 ejusdem Bibliothecæ. *Hist. de Laon*, p. 171, incerti auctoris, post annum 1725, ante annum 1729.

(2) Cf. Luchaire. *Louis VI*, p. 46, nº 84.

(3) Guib. de Nov. *De vita sua*, l. III, c. III, édit. Acher., p. 497, A. 1.

(4) Ibid., l. III, c. IV, édit. Acher., p. 498, D. 1.

calamitatem, famosus Gualdricus episcopatum petivit. Jam antea Helinandus electus erat ex commendatione regis Anglorum Eduardi (1). Simili modo, externa potentia regis Anglorum, scilicet Henrici, Gualdricus eligendus clericis et laïcis indictus est. Frustra Anselmus huic electioni summopere obstitit. A quibusdam monitus qui Gualdricum valde noverant, jure verebatur ne mores et indolem iste non tantum mutaret ut episcopali officio apte et decenter fungeretur. Unde monita ista acceperat Anselmus? Supra conjecimus (2) auditores, genere Anglos jam ante, in schola Laudunensi, exstitisse a quibus firmissima indicia Anselmus accipere potuisset. Qua de re hæc Guibertus de Novigento gravissima verba facit : « ipse (sc. Anselmus), plane certis auctoribus, ejus (sc. Gualdrici) noverat qualitatem (3) ». Posterius, ampli cujusdam viri ex aula Britanniæ filios, cum pædagogo, qui sub Anselmo magistro studerent, Gualdricus ipse Laudunum adduxit. Helinandus autem, cum eadem aula eodem commercio conjunctus, nequaquam alia ratione egisse poterat ; præterea Anselmus Cantuariensis, ipse scholastici Laudunensis quondam magister, ad complendam discipuli sui scholam fortasse operam dederat.

(1) Guib. de Nov. *De vita sua*, l. III, c. II, edit. Acher., p. 496. D. 1.

(2) Cf. supra, p. 10.

(3) Guib. de Nov, op. cit., p. 498, B. 2.

Anselmum magistrum recte providisse, cum Gualdrici electionem impugnaret, eventus mox ostendit (1). Attamen monenti non paruerunt eligentes quorum nullus in sententiam ejus ire ausus est. Factio enim valida favebat illi quem in clientela regis Anglorum, esse omnes noverant. « Gualdricus quanquam sub titulo nullius Ecclesiæ erat, nec quidpiam sacri ordinis præter clericatum exceperat, factione egit ut e vestigio subdiaconus fieret et canonicam in Ecclesia Rothomagensi susciperet, cum hactenus sese omnino militariter habuisset (2). » Istius ab electione solus Anselmus dissensit.

Non tamen ex omni parte res erat peracta : restabat ut summus pontifex electioni non assentiretur. Nam si, temporum infelicitate, et sanctimoniam et morum integritatem in sacerdotibus parum exquirebant nec severissimi, ut decuisset, censores Ecclesiæ Romanæ suppetebant, omnem tamen modum excedebat ea electio et aliquid in se habebat inauditum atque inusitatum. Periculum prospiciebat Gualdricus qui, properare exitum pernecessarium esse sentiens, celeriter admissionem suam movit. « Intra urbem cum pompa vanissima venit » et quam primum, Romam profectus est.

(1) Vide infra, p. 28, not. 1, 2, p. 29.

(2) Guib. de Novig., op. cit., p. 498, A. 2.

Sed demonstrare eum oportebat se, universæ Laudunensis Ecclesiæ votis, ad cathedram evectum esse. Abbates tres, inter quos Guibertum de Novigento, ut sibi comites essent, rogavit (1) quos permulti clerici sunt prosecuti (2).

De proposito dicendi contra electionem adeo non decessit Anselmus ut, præoccupato itinere et famæ suæ jam conspicuæ gratia, ad auditionem papæ admissus, videatur ei revelasse quibus causis recusaret ne Gualdricus episcopus fieret. Reipsa cum « clericorum turba quos secum electus adduxerat, obviam papæ Divionem venirent et de electi causa ei loquerentur », Gualdricus variis criminibus, « ad aures papæ a præfato Ansello fuerat jam notatus. »

Paschalis autem decretum distulit donec apud Lingones pervenit. Interea Gualdricus amplissima verba et pulcherrima promissa dedit « palatinis papæ ». Qui, « comperta hominis opulentia, aggratulari, virum ferre laudibus. Moris enim est ut audito auri nomine mansuescant (3). » Posterius, cum Gualdricum in Britanniam assecutus est, cognovit Anselmus opes, quibus ille addictum pre-

(1) Ejusdem, op. cit., p. 498, C. 2.
(2) Ejusdem, op. cit., p. 498, D. 2.
(3) Ejusdem, op. cit., p. 498, E. 2.

tio palatinorum papæ obsequium usurpaverat, non honeste fuisse comparatas (1).

Attamen Paschalis sententiam dicere noluit nisi publica moveretur controversia. « Intra urbem itaque susceptus Lingoniam, super electione Laudunensis episcopi habuit postridie tractatum. » Guibertus de Novigento aderat qui memoriæ nostræ rem omnem transtulit : « Cumque electionis libellum coram ipso legissem, in quo vita ejus et mores satis superque ferebantur, abbatibus nobis qui aderamus et presbyteris quibusdam Ecclesiæ qui cum electo venerant papa accitis, cœpit ad nos concionari, materiam de electionis lectione recens lata sumens...................................... Interrogat ergo papa primum cur elegeramus ignotum hominem. Ad quod cum nemo presbyterorum respondisset (nam quidam elementa vix norant), ad abbates se vertit. Sedebam autem inter utrumque medius.

« Utrique igitur ad illata tacentes, me, ut loquerer, hinc et inde urgere cœperunt.................... Dixi ergo, sub multa oris ac animi suffusione, quæ rogitantis sententiæ congruerent. Sub dictionibus quidem compositis verba tepentia, sed non penitus a vero deviantia, hominem sane ex familiaritate

(1) Ejusdem, op. cit., l. III, c. IV, p. 500, A. et B. 1.

nos et usu non nosse, sed ex benevolentia referentium probitates de eo aliquas accepisse. Quod cum prolato Evangelii testimonio : « qui vidit, inquit, testimonium perhibuit (Joan. XIX, 35), » cassare tentasset, et illud hoc non explicito objecisset, quod etiam de curia electus esset, ego quidem mox inutili tergiversatione post posita, fassus me verbis ejus refragari non posse. Quod valde ipsi placuit. »..

... « Interrogat denique quos haberet ordines, quem subdiaconum fore respondi. Deinde quærit in qua Ecclesia militaverat, in quo mentiri veritus hæsi, sed a meis mihi coabbatibus suggestum est quod in Rothomagensi Ecclesia. Ubi tamen ex vero addidi quia hoc nuper. Ad extremum infert an legitime esset progenitus. Dictum sibi plane fuerat quod esset naturalis. In quo capitulo cum plusquam in cæteris me constantius habuissem, præsertim cum super isto nullatenus dubitarem, dixit papa : Perhibetis testimonium super his ? cui inquam : De cæteris capitulis taceo, isti tamen fidenter astipulor quod neque sit nothus, neque spurius. Hæc certe sic objecta dominus papa non aliter quam diximus retractavit.

« Causa autem ut hæc seriatim ita objiceret non impediendi eum fuit, sed quia Ansellus magister, qui eum his omnibus arcesserat, in præsentia tum

erat, ut quod scilicet clam dixerat, si fortè in faciem ea homini illaturus insumeret.

« Ipse vero Magister, altiori intuitu ambitione palatinorum inspecta (non dico domini papæ), clavam Herculi extorquere de manu difficile duxit. Domino ergo papa, et me, si dicere audeam, nugaciter, ipse scholasticus niti videns, dominos in diversum contradicere supersedit. Omni igitur illico discussione sopita, electus ille ad medium deducitur, et ei a domino papa gratia pontificandi conceditur (1). »

Anselmum non censemus pavore adductum ut taceret. Nam antea impavide de indignitate Gualdrici Pontificem admonuerat, quod suscipere neque pavidi neque ignavi hominis ducendum est. Sed ambitionem et dolosam mentem palatinorum optime noverat, et omnem contentionem vanam atque supervacuam existimavit : cum non meliora silentio dicere posset, non sine causa tacuit (2).

Si his quæ supra attulimus, a Petro Cantore in « Verbo abbreviato » narrata, credere possumus, alia ex causa in angustiis versatus est Anselmus noster. Non ipse injecit, nisi fallimur, in mentem papæ ut quæreret pontifex an Gualdricus esset naturalis. Responsa de hoc a Guiberto

(1) Ejusdem, op. cit., l. III, c. IV, p. 498, E. 2 et 499, 1 et A. 2.
(2) Cf. supra, p. 3, n. 2.

de Novigento plenissime data litem diremerunt et decretum papæ abripuerunt.

Cum Gualdricum justa uxore natum certum esset et insuper Anselmus, optime omnium, de cunctis ad illum pertinentibus monitus esset, patet hoc ad utilitatem electi esse compositum et, ut putamus, ab amicis callide instillatum. Hoc quoque modo impediebant ne Anselmus disputationem ingrederetur, cum ipse, patre in diaconatum processo, in fucata et nonnullis contacta suspicionibus familiæ condicione versaretur. Speciem inspicientibus nothus videbatur et hanc turpem notam, episcopatum a Stephano de Garlanda oblatum abnuendo, confirmabat. Quod opprobrium si, in conventu illustrium virorum, illi fuisset objectum, non solum dignitatem ejus læsisset (1), sed etiam auctoritatem imminuisset, simul ac vim criminis Gualdrico ab eo intenti fregisset. Quæ cum ita essent, nihil instando proficere poterat et ideo a crimine destitit.

Ceterum, pondus argenti magnum, a Gualdrico allatum, palatinis papæ dispensatum est (2).

Mirabile dictu ! Gualdricus non videtur iram

(1) « Erat autem conventus locuples insignium admodum personarum, Italicorum episcoporum atque nostratium, sed et cardinalium, aliorumque literatissimorum. » (Guib. de Nov., op. cit. p. 499, A. 1.)

(2) Ejusdem, op. cit., p. 499, B. 2.

exercuisse adversus Anselmum quod ille enisus erat ne episcopus crearetur. Nullo enim modo fieri potuit quin Gualdricus ignoraret, aut Anselmum ne a populo et clero eligeretur obstitisse, aut saltem posterius contentiones, ut vidimus, inutiles apud supremum pontificem instituisse. Putandum verius, ex insigniore fama scholastici, arduum fuisse ei quamvis episcopo, illum ab amicitia removere. Recenter electus, Gualdricus profecto peritius censuit cum Anselmo lenius agere eumque in amicitias attrahere. Si nondum decanali dignitate fruebatur prioribus temporibus certe cum Gualdricus ad episcopalem potestatem evectus est, Anselmus ad id fastigium pervenit ; hoc enim incremento ornatum eum invenimus anno 1109 (1).

Indicium autem non spernendum quanti Gualdricus Anselmum aut æstimaret aut saltem, pro utilitate sua, æstimare videretur, suppeditat nobis quod iter conjuncte in Britanniam susceperunt. Tempore verum quo episcopus hoc iter inceperat, res magni momenti Lauduni evenerant quæ pravam pontificis indolem aperuerant et quarum exitus ei simul ac civitati horrendissimus erat evasurus.

(1) Cf. p. 16 ad not. 1. — Anno quo Gerardus Carisiacensis est occisus, Anselmus tum primum a Guiberto de Novigento, Ecclesiæ Laudunensis Decani nomen, in libro *De vita sua* accepit. « A Decano Ecclesiæ videlicet magistro Ansello et canonicis injunctum mihi est, ut super infortunio illo quod acciderat sermonem haberem ad populum. » (Guib. de Nov., op. cit., p. 501, B. 2.)

« Post tres ferme annos suæ ordinationis », ultionem petere cupiens a Gerardo Carisiacensi qui « simultatibus inter seipsum et episcopum motis, incompetenter de episcopo et de ejus contubernalibus loquebatur », Gualdricus ut sibi conciliavit addictos quosdam homines qui Gerardum interficere non dubitarent, « derelicto in manibus conjuratorum negotio, ad limina Apostolorum pessima ductus cogitatione contendit : non Apostolos (Deus tu nosti !) quærens, sed ut non tractasse tantum nefas videretur absens. Circa festivitatem itaque Santi Martini profectus, cum Romam venisset, tamdiu desedit ibidem, donec patratam comperit invidiosi hominis necem (1). »

Quanquam episcopi manus in insidiis Gerardo paratis apparuerat (2) (cum Rorigo ipse Gualdrici frater, dispensatorque episcopi quidam eum ceciderint, Gualterusque et Guido ambo archidiaconi palam confessi sint se facinoris conscios esse), Anselmus tamen piaculum decrevit cui præfuit Hucbertus Silvanectensis episcopus et ad orationem habendam Guibertum designavit abbatem B. Mariæ de Novigento qui ipse in libro « de Vita

(1) Guib. de Nov. *De vita sua*, l. III, c. v, edit. Acher., p. 500 et 501, passim.

(2) « L'assassinat de Gérard a eu lieu le vendredi qui précède l'octave de l'Epiphanie, c'est-à-dire le 7 janvier 1110. » Luchaire. *Louis VI*, p. 51, n. 93.

sua » (1) præcipuas hujus orationis sententias retulit. Paulo post, « præpositus regius Yvo domos eorum qui conjuraverant obsedit, diripuit ac incendit, ex urbe etiam eos pepulit (2) ». Rex admonitus præsulem a sede arcendum censuit, bonisque curiæ episcopalis eum privavit (3). « Nec Dominum papam latuit tantum in tanta Ecclesia perpetratum scelus. Loquitur ad papam episcopus et adulantibus donis tantam hujus facinoris a se suspicionem depellit. Rediit igitur, solito lætior, ab Urbe Gualdricus (4). » « Armatus sigillis et apicibus apostolicis » litteras ad regem mittit. Scipsum conjuratosque a cæde quæ ipsis intentabatur, multo auro argentoque redimit (5).

Ex eis quæ narravimus perspici potest Anselmum haud immerito electionem Gualdrici oppugnasse. Iste autem indigentia auri instanter premebatur : Romæ enim magnam pecuniam reliquerat, et maria et montes regis familiaribus promiserat, quorum, nummis deficientibus, solitam auri famem

(1) « In populi clerique conventu, a Decano Ecclesiæ videlicet magistro Ansello et Canonicis injunctum mihi est, ut super infortunio illo, quod acciderat, sermonem haberem ad populum. Cujus orationis tenor hunc secutus est sensum, etc. » (Guib. de Nov. *De vita sua*, l. III, c. VI, edit. Acher., p. 501 et 502, col. 1.)

(2) Guib. de Nov., op. cit, l. III, c. V, edit. Acher., p. 501, D. et E. 1.

(3) Ibid., l. III, c. VII, edit. Acher., p. 502, E. 1.

(4) Ibid., l. III c. VI, edit. Acher, p. 501, A. 2.

(5) Ibid., l. III, c. VII, edit. Acher., p. 503, B. 1.

explere nequiverat. Idcirco illis prius excommunicatis « qui commanipulares sacrilegorum carnificum læserant », non autem Gerardi occisoribus, statuit « ob exposcendas pecunias a rege Anglorum cui quondam servierat, amico sibi olim, proficisci in Angliam (1) ».

Mirabuntur forte aliqui quod Anselmum comitem sibi adjunxerit. Hoc tamen minime mirandum. Etenim Decanus Ecclesiæ Laudunensis jam senuerat et multi ex ejus discipulis, magno studio erga eum semper flagrantes, amplissimis muneribus in Anglia (2) jam fungebantur. Quorum unus, mox (anno 1113) Cantuariensem sedem adepturus, Rodolfus, Roffensis jam erat episcopus (3). Alii, abbates aut episcopi evaserant, et posterius, cum Laudunensium Sanctorum corpora in Angliam missa sunt, favore quo legati accepti sunt patuit quanta in laude Anselmus haberetur. Anselmo fidem impertiens eumque in consilia vocans, nonne confidebat et se eo consortio aliquam bonæ famæ partem adepturum et veterum flagitiorum notam obliteraturum? Magister autem aut gaudio visendorum discipulorum indulgebat, aut episcopali potestate astringebatur.

Utcumque se ea res habuit, iter faciendo, multa

(1) Ibid., l. III, c. VIII, edit. Acher., p. 503, C. 1.

(2) Vide infrà, c. III, p. 80 et ssq.

(3) Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris*, t. II, p. 43, ad annum 1113.

deprehendit quæ non decori erant Gualdrico et aperiebant qua impudentia animi alienum bonum iste tractaret (1). Tunc temporis, verisimile est reginam Angliæ Gualdrico credidisse « pannum sericum auro intextum, quem, per eum, reginæ Francorum illa mittebat et quem abstulit episcopus in Ecclesia Laudunensi Beatæ Mariæ », facete dicens Franciæ reginam esse Dei matrem, reginam immortalem (2). Hoc iter sane non diuturnum fuit, nam

(1) « Certè audivi a magistro Ansello, qui cum eo (sc. Gualdrico) jam episcopo, ad Anglos revisendos profectus fuerat, cum illuc devenisset, tanta repetundorum hinc vasorum, illinc pecuniarum querimonia, quorsumcumque vertebatur, emersit, ut a magistro subintelligeretur divitias quas ostentaverat, aliis subduxisse, non bonis artibus acquisisse. » — (Guib. de Novig. op. cit., l. III, c. IV, ed. Acher., p. 500, A. et B. 1.)

(2) « Hic (sc. Gualdricus) pannum sericum auro intextum, quem per eum regina Angliæ miserat reginæ Francorum, abstulit in Ecclesia Laudunensi B. Genitricis Dei Mariæ, jussitque fieri casulam, ad ejusdem Matris honorem. Procedente tamen tempore, cum reginæ memoratæ convenissent et secum ad invicem diu essent collocutæ, mirabatur regina Angliæ, quod nullam mentionem faceret de memorato panno, sic ait ad eam : « Non placuit vobis munusculum meum, tamen de potioribus fuit quod manus nostræ potuerunt attingere ». Cui regina Franciæ ait : « Quid est quod loqueris mi regina? » Cui illa : « de panno quem, per Laudunensem episcopum, vobis misi fit sermo. » Negat illa se aliquid hujus rei scire.

« Vocatur episcopus qui in illo conventu regali aderat; quæritur quare transmissum illi pannum non obtulerit reginæ. Respondet se pannum ei deferendum minime a quoquam accepisse; sed « Reginæ, inquit, Franciæ pannum misisti quem veniens ei indilatè obtuli ». Mirantur utræque, sed magis regina Angliæ, putans se delusam et cum alia, loco reginæ adfabulasse, aiens ad episcopum : « Ubi igitur regina Franciæ? » Similiter et alia ait : « Quid est, domine episcope, non cognoscis me? » Qui ait : « Utique novi. » « Certe, ait regina, mihi non præsentasti. » Qui ait, Reginæ Franciæ obtulit pannum ab hac domina sibi transmissum, quæ est pia Dei mater, Regina immortalis, cujus regnum stabile est sine fine.

multa, ut videbis, evenerunt inter tempus quo inceptum est et tertium calendas Maii 1112 quo Gualdricus est interfectus.

Anselmus, sine dubio, tempore quod transegit apud Gualdricum usus est ut, mentem tam distantem a recto ad meliores artes evocaret, sed in cassum est conatus. Vix enim Laudunum reversus, Gualdricus vitam improbam et infaustam magis magisque est secutus.

Absentis episcopi opportunitate utentes et quæstui habentes cupiditatem qua ardebant Laudunenses cives ut tandem res in urbe, tanta perturbatione solutæ, componerentur (1), archidiaconi, digno

Laudant utræque rei factum et approbant donum ». (*Chronic. Canonici Laudunensis*, apud Acher., Not. et observ. ad Guib. opera, p. 646, col. 2.)

Quanquam colloquium inter Ludovicum regem Franciæ et Henricum regem Angliæ, loco dicto « les Planches de Neaufle » anno 1109 est habitum (Cf. Suger, *Vita Ludovici grossi*, I, cap. xv; Luchaire, *Louis VI*, p. 39, n° 72), conventus regalis supradictus nobis videtur anno 1111 potius fuisse. Sin aliter, Gualdricus pannum quem reginæ Franciæ daret, a regina Angliæ accepisset eo tempore quo Laudunensis episcopus est electus. Sed ipsi, tunc regis Ludovici benevolentia egenti, quomodo animum subiisset retinere pannum reginæ Franciæ missum, præsertim cum, tradendo hoc donum, persona grata apud eam fieret? Quod si ab Anglis anno 1110 remeans, faventibus papa et rege Ludovico, gratiam reginæ minime quærens, sibi ipsi pretiosum pannum tribuerit, nil impedimenti est quin anno 1111, in Normannia, a regina Angliæ et regina Franciæ colloquentibus, de dono per se misso sit interrogatus, cum scimus Henricum Angliæ regem ab augusto mense anni 1111 ad julium mensem anni 1113 in Normania mansisse (Cf. Luchaire, *Louis VI*, p. 64, n° 120; p. 78, n° 148.)

(1) » Furta, imo latrocinia per primores et primorum apparitores publice agebantur. Nulli noctibus procedenti securitas præ-

pretio accepto, Communionis jurandæ licentiam concesserant. Ab Anglis cum plurima pecunia remeans episcopus, contra hujus novitatis auctores ira commotus, aliquandiu extra mœnia urbis sese continuit. Quem iratum oblata repente sedavit auri argentique congeries. Spopondit itaque Communionis illius jura se servaturum. Compulsus et rex est, « largitione plebeia », ut idipsum jurejurando firmaret.

Erat autem sane implacabilis invidentia episcopi : etenim « cum quidam animo lucrandi, denarios ex ære vilissimo conficerent, super isto munerabatur Gualdrici patientia. »

Quod in Gerardum Carisiacensem per conjuratos patrari voluerat absens, idem scelus in alterum Gerardum vel Majorem, vel Decanum rusticorum, per manus cujusdam sui Æthiopis, intra episcopale palatium, confici jubere non dubitavit (1). « Quo facto, regem etiam ipse rumor offendit et ad apostolicam sedem forsan pervenit : ab officio Gualdricum papa suspendit. »

Romam ergo profectus, artibusque suis ex more usus, a domino papa veniam sibi conciliat episco-

bebatur, solum restabat aut distrahi, aut capi, aut cædi » (Guib. de Novig. *De vita sua*, l. III, c. VIII; edit. Acher., p. 503, C. 2.)

(1) « Eum corripiens et intra episcopale palatium custodiæ eum trudens, nocte per manus cujusdam sui Æthiopis, oculos ejus fecit evelli ». (Id., Ibid., l. III, c. VIII; edit. Acher., p. 504, D. 2.)

pus, et auctoritate iterum fretus, Laudunum redit.

Paulo ante Parasceve, cœna scilicet dominica, anno 1112, ubi rex quem evocaverat advenit, machinatus est præsul cum lateralibus regis ut, Communione destructa, rex idem in priorem modum jura redigeret urbis. Cum vero burgenses, ut Communio salva esset, quadringentas libras regi ac regiis pollicerentur, episcopus contra spopondit septingentas. Condicionem Gualdrici accepit rex qui populares motus metuens, maxima celeritate, prima luce recessit.

Ruptis igitur Communitatis prædictæ fœderibus, tantus furor et stupor tantus burgensium corda corripuit ut omnes officiales officia sua desererent. Quantum quisque dederat ad instituendam Communionem, tantundem exigebatur ad destituendam eamdem. Burgenses ergo ira, jam vero rabie perciti, in mortem, imo in necem episcopi et conscciorum ejus, dato invicem sacramento, conspirant. Fuisse autem quadragenos qui juraverint tradunt (1).

Rem non celaverunt et ea quæ machinabantur Anselmus novit. Quantacumque fuerant episcopi peccata, scholasticum, muneris non quidem suscepti sed humani officio functum esse si eum de illo con-

(1) Guib. de Nov. *De vita sua*, l. III, c. VIII, passim.

silio monuerit, putabis. Huic officio non defuit Anselmus qui diem et horam ad patrandum homicidium dictas indicavit. Etsi episcopus monitum contemptim recepit, id non ex omni parte aspernatus est cum, die Paschæ, in matutinis adesse supersederit (1). Tempus apte a conjuratis delectum erat ; die enim illa, ex antiquo more diœcesis Laudunensis, fidelium frequentia solebat adstare ante lucem cærimoniis commemorativis resurrectionis Christi (2) et quadraginta armati facile in media turba latere poterant. Anselmi autem vigilantis cura primum eorum consilia in contrarium vertit.

Ex his non ducendum perjurio episcopi Anselmum annuisse. Cum in tempore electionis, tum adeundo papam Paschalem, virum sponte sua se monstraverat. Putandum nobis videtur eum et in hoc temporis talem se præbuisse. Reipsa, verisimiliter fuit inter « primores cleri » qui, biduo ante mortem Gualdrici « in media basilica » ab illo quæsierunt

(1) « Quod eorum molimen omnino tegi non valuit. Nam cum contigisset magistri Anselli notitiam, in ipsa sacri Sabbathi jam vesperascente die, cubitum eunti episcopo mandavit, ne ad matutinas procederet vigilias, sciens se, si veniret, interficiendum. At ille typo nimis stupidus : *Phi*, inquit, *ego ne talium manibus inteream!* Quos quamvis ore despiceret, ad matutinas tamen surgere et Basilicam ingredi non præsumpsit (Id., ibid., l. III, c. VIII; ed. Acher., p. 505, B et C, 2.) »

(2) Quem morem nos scimus usque ad nostram ætatem esse servatum. Cf. Bellotte, *Ritus Ecclesiæ Laudunensis.*

cur, coram rege, cleros suos tanquam quavis laude omnino indignos effinxisset (1). Decani erat tueri jura clerorum qui scitis ejus subjiciebantur (2). Anselmus magis cordi habebat officii debitum quam ut ab illo, etiam periculi causa, discederet.

Quod in extremo rerum discrimine mox patuit. Burgenses enim ab incepto non destiterant. Primum, die ipso Paschæ, in « pompa », comminationes adversus episcopum protulerunt ex quibus, ut verum dicam, nihil est secutum. Attamen Gualdricus « ex episcopalibus villis plurimo accito rusticorum agmine, turres Ecclesiæ munit curiamque suam asservari præcipit. »

Mox opportunitates rursus obtulit conjuratis solemnis pompa quæ, quotannis, feria secunda post Pascha, fiebat ab Ecclesia Cathedrali ad Abbatiam Sancti Vincentii et clerum longe, extra muros, educebat. Sed quamvis moræ impatientes, ex quo proposita sua ab Anselmo nota esse cognoverant, burgenses cædibus mente cogitatis pepercerunt : omnes enim proceres simul ac episcopum tollere

(1) « Ante duos, nisi fallor, suæ mortis dies, conventus est in media Basilica a primoribus cleri sui, quod regi in urbe nuper constituto eos detulerat, dicens Clericos non esse reverendos, quia pene omnes ex regia forent servitute progeniti. » (Id., ibid., l. III, c. IX; edit. Acher., p. 507, C et D,1.)

(2) « Decani non longe ante calendas, suæ diœceseos presbyterorum agebant. » (Id., ibid., l. III, c. XII, ed. Acher., p. 511, C. 2.)

hi intendebant, nolentes illos « cautiores reddere » si, illis a pompa absentibus, solum episcopum cæderent.

Postero autem die, episcopus « securior factus », rusticorum agmen ad custodiam Ecclesiæ et curiæ præpositum dimisit. Quarto die post Pascha, Guibertus, abbas Sanctæ Mariæ de Novigento, qui Laudunum venerat, apud Gualdricum, questurus de detrimento cibariis suis facto a turba quæ urbem complebat, episcopum invenit securum et quietum, nullo modo anxium aut sollicitum de eis quæ a permultis viris monebatur. (1)

« Postero die, feria videlicet quinta cum, post meridianas, de exigendis pecuniis cum Galtero archidiacono ageret horas, ecce per urbem tumultus increpuit *Communiam* acclamantium (2). » Omnia arma advocantes, basilicam invadunt burgenses et in curiam episcopalem ecclesiæ connexam irruunt. Proceres ad tuendum episcopum undique

(1) « Quarto die, quia annonam meam et aliquos pariter petasones, quos vulgo bacones vocant, diripuerat per suum incendium, perrexi ad eum. Conventus a me ut tanta urbem procella eximeret respondit : *Quid putatis in sua turbulentia eos posse facere! Si Joannes, Maurus meus, ipsum qui in eis est potior, naso detraheret, nullatenus grunnire præsumeret! Nam suam heri quam appellabant Communiam, eos, quoad viverem, abjurare coegi.* Dixi et multo hominem videns eversum supercilio, dicere supersedi. Antequam tamen ab urbe discederem, gravi ab invicem animadversione, instabilitatis suæ causa, dissensimus. De instanti autem malo cum præmoneretur, neminem dignabatur. » (Id., op. cit., l. III, c. VIII, p. 506, A et B. 1.)

(2) Guib. de Nov., l. III, c. IX ; p. 506, C, 1.

concurrunt. Permulti ex eis pugnantes cadunt priusquam intra episcopalem domum penetrare possint. Gualdricus vero, « cum quibusdam qui sibi opitulabantur, jactibus lapidum sagittarumque ictibus quoad potuit, repugnavit. » Res, in præsenti tempore, quamvis in angustiis sitæ, magis ingènio ejus aptæ erant quam episcopale ministerium. Licet autem bellatrix ejus iracundia renovaretur, mox nihil armis profici posse intellexit et non recusavit quin, « sumpta cujusdam mancipii veste », latebram in cella ecclesiæ quæreret.

Tunc curia potitur turba et cum tumultuoso clamore, per totam domum, concursat ad episcopum reperiendum. Teudegaldus quidam « homo funestissimus, beati Vincentii Ecclesiæ capite census », pervenit in apothecam ubi Gualdricus in tonnula quadam latebat. Episcopum facetiis insectatur, « de vasculo cum capillis detrahit », densis ictibus pulsat, et foras extrudit ad turbam quæ illi pertinaciter et ferociter instat. « Bernardus, cognomento de Brueriis, elevato bipenni, sacrum quamvis peccatoris verticem truculenter excerebat. » Alius eum plaga extrema confecit atque Teudegaldus, ad annulum episcopi sumendum, digitum gladio exsecat. Episcopi corpus, plurimis jactatum injuriis, lapidibus et luto mox operitur (1).

(1) Id., op. cit., l. III, c. IX ; passim, p. 506 et 507. Tonnulam

Ocius per totam urbem nihil aliud ante oculos exstabat quam cædes, prædationes et pugnæ. Super ceteras calamitates, ignis excitatus in domo « thesaurarii Guidonis qui et symoniace archidiaconus erat », cathedralem ecclesiam attingit, curiamque episcopalem incendit, « titio utrum nescio an carbo ad monasterium Virginum convolavit et sancti Joannis ecclesiam succendens, Beatæ Mariæ quæ profunda dicitur, sanctique Petri, in cineres convertit (1). »

Dum autem hæc luctuosa eveniebant, quæras quid Anselmus noster egerit? Cum intueretur Gualdricum monita sua contemnere et, vanitatis causa, eo imprudentiorem se exhibere, quo magis ei ostenderetur periculum imminens, destitit Anselmus a monitionibus. Erupta autem seditione, serius erat quam ut negotiis se immisceret : cur oculis se

in qua corpus episcopi inclusum esset, de vertice montis præcipitatam, usque ad locum dictum « la Grange l'Evêque » esse volutam majores tradunt.

(1) Guib. de Nov., op. cit., l. III, c. x; p. 508, A. 1.

« Sanctæ Mariæ Ecclesia cum aliis propinquioribus decem fere Ecclesiis, domus quoque adjacentes Episcopi atque canonicorum, multorumque aliorum, igne supposito, concremantur. » (Hermann. *De Mirac. S. Mariæ Laudun.*, l. I, c. I; ad calc. oper. Guib., p. 528, E. 1.)

Hermanno eidem si credas, Anselmus « nonnullis secrete colloquens prænuntiasse » hanc calamitatem ferebatur; nam, Gerardo Carisiacensi occiso, dicebat « illam sanguinis effusionem, nonnisi ejusdem Ecclesiæ concrematione diluendam, quoniam tantum scelus, non aqua, sed potius igne foret expiandum. » (Ejusdem, op. cit., p. 528, D. 1.)

præbuisset, cum nulla eloquentia aliquid valeret ad sedandum populi furorem ? Anselmus igitur se abscessit et rebus præsentibus impar, recte ad futurum tempus se reservavit. Agendi et luctuosi officii conficiendi locus mox occurrit.

Postero die, exanimum corpus episcopi adhuc injuriis populi objiciebatur et omnes prætereuntes lapidem illi jactabant aut contumeliam imponebant. Anselmus ad seditionis duces vadit et, ab illis, sepeliendi corpus licentiam impetravit. Non sine periculo hæc ausus est Anselmus ; namque Adalbero, Sancti Vincentii abbas (ille qui, tempore electionis, Gualdrico comitem se adjunxerat apud papam), cum ei in mente erat episcopi cadaver petere, a proposito deterritus erat ne ipse interficeretur (1). Attamen in abbatia Sancti Vincentii depositum est Gualdrici corpus. Exsequiæ autem quasi furtim confectæ sunt et miserando modo, quo plane ostenditur omnes timuisse ne in periculum grave occurrerent, non dico venerationem tribuendo, sed etiam miserationi cuidam indulgendo erga illum qui fuerat episcopus Laudunensis (2).

(1) Cf. Guibert de Novig., op. cit., l. III, c. x, p. 509, B. 1.

(2) « In crastino igitur, quoniam nemo erat pene qui jacens episcopi cadaver, sine jactu aut probro seu maledicto, præteriret, de sepultura vero nullus cogitaret, magister Anselmus qui hesterno, cum seditio æstuaret, omnino se abdiderat, ad tragediæ hujus auctores preces fudit, ut hominem, vel quia episcopi nomen et insigne habuerat, sinerent quoque humari : vix annuunt. Quia ergo nudus

Cum sedarentur et civitatem eversam viderent burgenses, angustiarum intelligentiam habuerunt et, proprio triumpho perterriti, auxilium flagitaverunt a potente viro, Thoma de Marna, qui Lauduni res composuit. Mox autem ille, cum nollet sibi ipsi auctoritatem in urbe regia constituere, in propria recessit. Illuc eum sunt secuti qui in majore discrimine versabantur. Proceres autem qui stragem effugerant et e custodia evaserant, atroci vindictæ studio moti, a civibus in urbe remanentibus et etiam ab illis qui a seditione abfuerant, pœnas repetere statuerunt.

Interea rustici, civitatem ab incolis derelictam esse putantes, primoribus ducibus, undique concurrerunt et præda ingenti potiti sunt (1).

Ex altera autem parte, Thomas de Marna, ab episcopis excommunicatus, exsilio a rege affectus, a nonnullis principibus et ab ipso patre Ingelranno oppugnatus, vim vi repulit, ecclesias et

terræ, canina quadam vilitate, a vespertinis feriæ quintæ horis, ad tertiam crastini diei horam usque jacuerat, jubetur tandem a Magistro levari et salbano superjecto ad S. Vincentium deportari. *Dici non potest quot minis, quot conviciis curatores funeris urgebantur*, quot mortuus ipse maledicis sermonibus illapidatur. Delatus ad Ecclesiam nihil prorsus officii, non dico quod Episcopo, sed quod Christiano competeret in exsequiis habuit. Terra receptui ejus semicavata, corpus est intro brevi tabula sic compressum ut pectus et venter prope usque ad crepitum premeretur. » (Guib. de Nov., op. cit., l. III, c. XI; p. 509, C et D. 1.)

(1) Id., op. cit., III, 12, p. 509, 510, 511.

cœnobia impugnavit (1). Tum rex Ludovicus VI exercitu in expeditionem comparato, ad res componendas Laudunum venit (2).

Utrum rex antea senescalchum Stephanum de Garlanda miserit ut, ad eligendum eum qui Gualdrico succederet, operam daret, an ipse de hoc curaverit nescimus.

Jam vero narravimus Hugonem decanum Aurelianensem, non quidem votis populi et cleri in episcopatum evectum esse, sed artibus Stephani de Garlanda qui, in locum Hugonis, ipse, Decanus Sanctæ Crucis Aurelianensis fieri cuperet (3). Et quidem cum persuasum haberet Scholasticum repudiaturum episcopalem sedem (4), solerter eam ei obtulit quo Laudunenses cives facilius tolerarent licentiam qua, hunc Hugonem eis imponendo, utebatur. Anselmus enimvero episcopatum abnuit et solum petivit ut nepotes sui, propter seditionem in carcere inclusi, liberarentur, donaque non accepit quæ nepotibus Stephanus supradictus obtulerat (5). Verisimile videtur quod, abnuendo episcopatum,

(1) Id., op. cit., III, 15, p. 515.

(2) Id., op. cit., III, 15, p. 517.

(3) Id., op. cit., III, p. 514.

(4) Petr. Cant. *supra laud.* (p. 3, ad not. 2.) *Verb. abbrev.*, c. 47; ap. Migne, t. 205, p. 443.

(5) Petr. Cant. *supra laudat.* (p. 3, ad not. 1), op. cit. ; ap. Migne, t. 205, p. 151.

senescalcho pergratum fecerit Anselmus. Ceterum si ad alliciendos populi clerique animos, episcopalem dignitatem Anselmo obtulerunt, plane ex hoc apparet magistrum omnibus placuisse et facile intelligi potest quanta auctoritate apud omnes valeret.

Præterea, schola cui præerat Anselmus maxima tum prosperitate vigebat et mirandum merito videtur quod, in rerum confusione qua tunc civitas perturbabatur, non labefacta est. Radulfum jam certe adjutorem in juvenum institutione sibi Anselmus adjunxerat; ille enim laboris socius fratri jam fuerat, in colligendo varias Scripturarum sententias civibus suis addictas, ad compescendos moderandosque luctus quibus illi (1) lacessebantur.

Hugo qui, mense Augusto 1112, ad sacra vocatus fuerat (2) aliquot tantum menses sedem obtinuit (3),

(1) (Dominus) « nobis in tanta calamitate positis duos sapientissimos viros,... scilicet magistrum Anselmum, germanumque ejus Radulphum misericorditer reservavit, qui tam clericos quam laïcos dulciter consolantes et diversis sententiis Scripturarum refoventes, ne in tribulationum adversitatibus deficerent, exhortabantur. » (Hermanni Monachi *De Mirac. B. Mariæ Laudun.*, l. I, c. I; ap. Guib. de Nov., edit. Acher., p. 528, col. 2, B.)

(2) *Actes de la province de Reims* publiés par le cardinal Gousset, t. II, p. 177.

(3) Cf. D. Mabillon. — *Annal Benedict.*, t. V, p. 574 et 684. — Apud Hermannum (*de Mirac. S. Mariæ Laud.*, l., I, c. 2,; p. 528, 529) nihil de Hugonis electione legitur; quinimo Bartholomæum Gualdrico proximum successisse Hermannus dicere videtur. — « (Hugone) post septem menses mortuo, vir illustris Bartholomæus ad epicopatum Laudunicæ civitatis provehitur. » (Roberti App. ad Sigeb., *Rerum gall. et francic. script.*, t. XIII, p. 326, B.)

Cum hic, incipiente anno 1113, mortuus est, damna urbis nondum resarcita erant. Protinus tamen copias comparare contenderant cives ad restituendam ecclesiam. Sexta hebdomade post incendium, septem viri canonici sexque laïci quibus feretrum Beatæ Mariæ, necnon aliæ Sanctorum reliquiæ ab ignibus sospites, erant tradita ut, a fidelium pietate petita dona colligerent, profecti sunt (1). Quod quidem eo tempore in more habebant (2). Inter viros qui tres menses reliquias sacras ita per Galliam prosecuti sunt, canonicus quidam erat, nomine Anselmus (3), quem scholasticum fuisse aut non, aperte declarare non possumus. Certum tamen videtur hoc consilium, suadentibus Anselmo magistro et fratre ejus, susceptum fuisse. Fama autem qua in Britannia florebat concitus, locosque eminentes quos nonnulli ex suis discipulis, apud Anglos, assecuti erant ipse animadvertens (4),

(1) « Ecclesia vero fuerat succensa, feria quinta Paschalis hebdomadæ, ipsique egressi sunt feria quinta ante Pentecosten, id est in octavis Ascensionis, demoratique sunt usque circa festum Matthæi Evangelistæ. » (Herm. *De Mirac.*, I, 3 ; ap. Guib., p. 530, E. 1.)

(2) « Interea, secundum illum qualemcumque morem, ad corrogandas pecunias, cœperunt feretra et sanctorum reliquiæ circumferri. » (Guib. de Novig., op. cit., p. 512, E. 1.) — Cf. D. Mabillon. Annal. bened., t. IV, p. 441. — Cf. etiam Marlot. *Metrop. Rem. hist.*, t. III, p. 316 et 520.

(3) Herm., *De Mirac. S Mariæ*, p. 530, C et D, 1.

(4) « Consuluerunt nonnulli sapientes et religiosi viri ut, etc... » Herm., op. cit., p. 530, C, 1.

consilium moliri cœpit cui casus mirabili modo favit.

Incipiente anno 1113, cum modo mortuus esset Hugo qui Gualdrico successerat, consumptis jam opibus quæ fuerant anno proximo collatæ, tamen opus inceptum nondum absolverant. Non erat quod in Gallia novas collationes tentarent. Sed divitiis abundabat tunc Anglia et canonici Laudunenses certum habebant liberaliter se exceptum iri, dum Anselmum magistrum appellarent. Quidam ex eis procul dubio, amicis illic revisendis gaudebant. Quæ consilia bene disposita esse re ipsa visa sunt (1).

Novem canonici profecti sunt « feria secunda ante Dominicam palmarum ». Postquam phylacterium sacrum, per Angliam, in conspectum populo dederunt, « eodem anno, mense septembri, circa Nativitatem Sanctæ Mariæ, ea quæ sibi contigerant referentes » redierunt (2). Magnam pecuniam simul ac res magni pretii reportabant.

(1) « Ex oblationibus ergo fidelium per Franciam collectis, toto autumnali et hiemali tempore, templum Dominæ nostræ ex magna parte reparatum est. Sequenti vero Quadragesima, cum adhuc pars operis maxima superesset, pecunia vero paulatim decresceret, consuluerunt nobis nonnulli sapientes ut denuo ex canonicis aliqui eligerentur qui, tam litterarum scientia, quam modulatione canendi et peritia, Laudunensi Ecclesiæ forent honori et cum feretro Dominæ nostræ sanctorumque reliquiis in Angliam transmitterentur quæ tunc temporis, magna divitiarum florebat opulentia, pro pace et justitia quam Rex ejus Henricus, filius Guillelmi regis, in ea faciebat. » (Herm. *De Mirac.*, l. II, c. I, ap. Guib. op., p, 534, A et B. 1.)

(2) Herm., op. cit., p. 534, D. 1.

Ubicumque invenerunt viros, Anselmi olim alumnos, comi hospitio excepti sunt (1) ; nec quisquam inter discipulos liberalius eos accepit quam Guillelmus Cantuariensis qui olim, Lauduni, Anselmum frequenter audierat (2).

Dum vero, etiam in regione ubi non aderat tam bene merebat Anselmus de civibus suis, in ipsa civitate Laudunensi ubi remanserat, adjutore fratre suo Radulfo, ad pacem restituendam et ad providendum ne calamitates iterum acciderent, operam dabat. Sæpe uterque inter se et prudentissimos viros civitatis communicabat et sermonem habebat de eligendo tali episcopo qui omnia a Gualdrico patrata ex memoria hominum evellere ac tot et tantas ruinas reficere posset (3). Priore anno Radulfus, Remensis archiepiscopus, Ecclesiam venerat reconciliaturus (4). Hic videtur in sententiam Anselmi ivisse, cum Ecclesiæ Laudunensi eligendum proposuerit Bartholomæum « canonicum

(1) Herm., op. cit., p. 536, D. 1; p. 539, A. 1 ; p. 539, B. 2; p. 539, E. 2, etc. — Cf. infrà, c. III, pp. 61 et 62.

(2) « Hic (scil. Guillelmus) ergo cum ingenti gaudio nobis occurrens, honorificentissime nos cum monachis sancti Augustini suscepit et quamdiu voluimus benigne retinuit. » (Herm.; op. cit., p. 536, E, 1.)

(3) « Inter consolationum tamen colloquia cum sapientibus et religiosis viris diligenter et sollicite discutientes (scil. Anselmus et Radulfus prædicti) utrumnam aliquem invenire possent per quem tam mirabilis et horrenda clades reparari valeret, etc... » (Herm., op. cit., p. 528, C. 2.)

(4) Guib. de Novig. *De vita sua*, III, p. 509, B. 2.

Remensis Ecclesiæ Beatæ Mariæ » et paulo ante « præbenda Sanctæ Mariæ Laudunensis » jam ornatum (1) « Electus unanimi totius cleri et populi assensu Bartholomæus... a Radulfo Remorum archiepiscopo... celeberrime est consecratus (2). »

Anno tantum 1150 Laudunensem sedem erat relicturus ut, in cœnobio Fusinacensi, monasterii silentio deditus, vitæ multis ac magnis operibus refertæ finem impleret, postquam tamen successoris sui electioni ipse (3) præsederat.

Per Pontificatum octo et triginta annorum, restitutionem perfecit ecclesiæ Beatæ Mariæ, canonicorum claustri curiæque episcopalis labentes muros renovavit, trium cœnobiorum emendationem adjuvavit, decem abbatiarum et in primis Præmonstratorum ordinis institutioni (4) operam navavit. Ex his omnibus patet Ecclesiam Laudunensem nunquam pœnituisse quod, cum eligeret Bartholomæum, Anselmi consilia servavisset : insuper, multis in rebus, nihil egit episcopus nisi ex duorum fratrum

(1) Hermann. *De Mirac.*, I, 2, p. 529, B et C. 2.

(2) Id., op cit., I, 2, p. 529, D, 2.

(3) « Anno MCL, Bartholomæus episcopus Laudunensis, XXXVIII anno sui episcopatus, contempto mundi schemate, Fusinaci, induitur monachali habitu... » (Alterius Roberti. *Append. ad Sigeb.*; ap. Rerum franc. script., t. XIII, p. 332, E.) — Cf. *Epistol. Ludov. VII ad Suger* (ap Rerum franc. script., t. XVI, p. 12).

(4) Herm. *De Mirac.*, l. III, c. XXIII, p. 554, C. 1.

sententia. In maximo civitatis et Ecclesiæ commodo habebatur Anselmi et Radulfi præsentia apud episcopum quem consiliis, eo prudentioribus et tutioribus juvabant, quo diœcesis res et necessitates melius novissent et eximia laude apud omnes fruerentur. Guibertus de Novigento, in proœmio Commentariorum suorum in Genesim quæ Bartholomæo dicavit, duorum magistrorum gratiam planam facit et eos plausu excipit (1).

Verisimile mihi videtur Petrum Abaelardum, uno tantum anno post electionem Bartholomæi, Laudunum venisse ut Anselmum audiret Scripturas interpretantem (2) et in hoc temporis, auctoritati magistri insidias molitum esse, sicut antea (3) Lutetiæ egerat erga Guillelmum Campellensem. In tertio capite (4), quibus in rebus sententiæ eorum

(1) « Indidit tanto Deus capiti duos oculos sideribus clariores, dum a dextris habes Anselmum totius orbis latini magisterio prædicatum, cujus tam sincera est in Scripturarum ac fidei assertione severitas, ut plures veros suis probetur documentis fecisse Catholicos quam instituisse potuerit erroneus quispiam temporis hujus hæreticos; altrinsecus Radulphum cujus ingenii ac doctrinæ sicut a præfato fratre non discrepavit alacritas, ita totius eum bonæ habitudinis æmulatur honestas. » (Guib. de Nov. *Proœm ad Commentarios in Genesim*, edit. Acher., p. 1.)

(2) Bulæo (*Hist. Univ. Paris.*, t. II, p. 40) Abælardus Laudunum anno 1113 venisse videtur.

At in nota quadam ap. Rer. franc. script. (t. XIII, p. 654, C.) hoc legitur : « Abælardus... ad hunc (sc. Anselmum) non prius accessit quam Guillelmus ad Insulas Catalaunenses fuisset evectus : quod quidem anno 1113 exeunte contigit. » Cf. infra, p. 84.

(3) Cf. Eg. Bul., *Hist. Univ. Paris*, t. II, p. 9.

(4) Vide infra c. II, p. 64 et ssq.

discreparent et qua animi virtute, certaminis in se ab Abelardo initi finem fecerit Anselmus, copiose explanabimus.

Si Petri Cantoris narrationi supra (1) allatæ assentiamur, hoc ipso anno 1114 archiepiscopalem Cantuariæ sedem Anselmo nostro obtulerunt et, eo abnuente, Rodolfo, Anselmi olim discipulo jamque Roffensi episcopo, dederunt.

Gualterio, instigante Thoma de Marna (2), circa quadragesimale tempus, occiso, Anselmus ad munus archidiaconi promotus erat (3). Ita ex debito muneris officio, episcopo ad regendam diœcesim opem attulit quam quidem, jam in intimam consuetudinem episcopi insinuatus, antea præstabat.

Nihil grave agitur quod prudentibus magistri Anselmi consiliis non proponatur. Videtur episcopus, sine illo nunquam nihil tractasse. Cum Anselmus quidam cognomento Beessus, qui sacrilegum furtum jam fecerat de quo se purgare (4) potuerat,

(1) Vide supra, p. 3, not. 2.

(2) Cf. Guib. de Nov.; *De vita sua*, III, 15, p. 516, 517.

(3) Cf. Guib. de Nov., loc. citat.

Chartæ. qua renovabatur privilegium canonicorum Ecclesiæ S. Laurentis de Rozeto, anno 1114, Anselmus Decanus nec Archidiaconi partes gerens subscripsit (Cf. de Florival, *Barthélemy de Vir*, p. 276.)

Chartæ vero, qua curia quædam canonicis Ecclesiæ S. Quintini dono dabatur, anno 1115, Decanus utpote et Archidiaconus Anselmus subscripsit (Cf. de Florival, op. cit. p. 277).

(4) Cf. Guib. de Nov. *De vita sua*, III, 16, p. 518, 1 et Hermann, *de mirac.*, III, 28, p. 557.

secundo criminis exitu audacior factus, pretiosa vasa, aureas cruces, totum, ut breviter dicam, ecclesiæ thesaurum eripuisset, omnes facinore stupentes ad episcopum currunt. Statim Anselmi sententia ab episcopo exquiritur (1). Consilium capiens ex Scripturarum recordatione, simulque forte *realium fautor* inscius, Decanus modum investigandi vere inusitatum consuluit quem Hermannus monachus his verbis expromit :

« Ille (sc. Anselmus magister), ut divinæ legis peritissimus, continuo Josue replicat historiam, quomodo scilicet furtum in Jerico, nullo sciente, factum Dominus jussit sorte perquiri, primo per tribus, deinde per familias ac domos, ad ultimum singillatim per viros. Instar hujus tam subtilis perquisitionis, consulit Magister Anselmus ut tanti facinoris auctor judicio aquæ perquiratur ac, de singulis urbis parochiis unus infans, in vase aqua benedicta repleto, poneretur et quæcumque parochia forte culpabilis inveniretur, de singulis domibus ejusdem parochiæ unus infans in aqua poneretur, et quæcumque domus deprehensa fuisset, omnes viri vel

(1) « Consulitur episcopus et magister Anselmus quid facto oporteat. » (Guib. de Nov., op. cit., III, 16, p. 518 D, E, 1).

« Quid opus sit facto discutitur et, præ omnibus, magister Anselmus, tunc temporis totius urbis lucerna consulitur. » (Herm., op. cit., III, 28, p. 558, E. 1.)

feminæ ad eam pertinentes judicio aquæ se purgare. cogerentur (1) ».

In his erraverunt Anselmus et Radulfus qui suo more, ex locis Scripturarum, de quacumque re, sententiam ferebant. Cunctis hæc universa perquisitio ad minas spectare videbatur et illi etiam, qui omni culpa carebant, a metu non jam vacabant. Votis omnium annuerunt inquisitores et alio modo usi sunt. Ut consentaneum erat, inter « custodes ecclesiæ et prope templum manentes », primum indagaverunt sontem et brevi, ad quem pertineret facinus perspexerunt.

Nihil posthac evenisset quod insignem notam imponeret ultimis annis Anselmi, nisi controversia fuisset Anselmo cum Ruperto Tuitiensi, qua ex parte cum voluntate Dei malum conjunctum sit. Quam rem satis superque explicabimus in capite quarto hujus libri. Cum, e monasterio egressus ut cum tanti nominis scholastico de his colloqueretur, Rupertus Laudunum perveniret, Anselmus animam efflabat anno 1117. Adversarii mortem deflevit ipse Rupertus (2), civesque Laudunenses tanquam publi-

(1) Hermann, op. cit., III, 28, p. 558, E. 1 et A. 2.

(2) Canonicus anonymus Ecclesiæ Laudunensis, necnon Chronici cujusdam auctor, Joannes a S. Victore, Eugenius papa, Sixtus Senensis, Joannes Sarisberiensis, a Bulæo prolati (*Hist. Univ. Paris*, t. I, in Catal. illust. academicorum, sub nomine Anselmi) variis laudibus magistrum Laudunensem prosequuntur.

Hugo Metellus, in epistola quadam ad Innocentium missa de

cam calamitatem eam videntur habuisse. Cuncti qui, paulo post Anselmum mortuum, de eo aliquid scripserunt, magistro laudes, ut videtur, majores tribuerunt.

Iisdem honoribus Anselmum Laudunenses exornaverunt ac si episcopus fuisset, eum sepelientes in Ecclesia abbatiæ Sancti Vincentii (1). Ibique ad finem septimi decimi sæculi, testante Claude l'Eleu (2), legebatur hoc epitaphium quod, ut putant, Philippus Hervangius, abbas Bonæ Spei (3) exaravit :

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille magister
Anselmus, cui per diffusi climata mundi
Undique notitiam contraxit, undique laudem
Sana fides, doctrina frequens, reverentia morum,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, censura vigens, correctio dulcis,
Consilium sapiens, mens provida, sobria, clemens ;
Sed quas longa Dei congessit gratia dotes,
Idibus invisis, dissolvit Julius æter.
Qua vivens viguit comitetur gratia functum.

Anselmo sic ait : « Mortuo Anselmo Laudunensi et Guillelmo Catalaunensi, ignis verbi Dei in terra defecit. » (Baron, *Ann. eccles.*, t. XVIII, p. 296 inter Pagii notas).

Multorum aliorum, erga Anselmum laudes, in diversis hujusce libri locis, aut supra retulimus aut infra producemus.

(1) Vide Acher. *Not. et Observ. ad Guib.*, p. 658, D. 1.

(2) Cf. Codicem apud familiam l'Eleu de la Simone servatum in quo continetur *Historia civitatis Laudunensis*, t. I, p. 274 recto.
Cf. etiam Marlot. *Metrop. Rem, hist.*, t. I, p. 285.

(3) Cf. *Hist. litt.*, t. X, p. 179.
Hoc epitaphium scripsimus secundum Codicem latinum in quo legitur « congessit » ad versum septimum dum legitur « concessit » in opere supradicto (Bibl. nation., n° 13089, f° 120).

Alterum epitaphium (1), ut in more erat, elatius conscriptum, a Marbodo Redonensi episcopo qui, per quatuor et decem annos, episcopalem Andegavorum scholam rexerat (2), superlatis verbis fuit confectum.

De vita Radulfi pauca novimus, nisi quod quindecim vel sexdecim annos post fratrem vixit scholamque rexit. Decani munus Guidoni (3) delatum

(1) « Princeps doctorum, flos cleri, gloria vatum,
Transiit Anselmus per inexorabile fatum.
Hujus honestatis decus et castissima vita
Indicium fuerat quantus fuit. Israelita
Lex, Evangelium, psalmus, ceu nube voluta,
Anselmo mediante, Deus dedit esse soluta.
Anglia, Francorum regnum, Pannonia tota,
Gens Liguris, plebs Apuliæ, Judæa remota,
Pluribus errorum tenebris prius illaqueata
Senserunt documenta viri, documenta beata.
Hoc duce, floruerat studio sapientia grata
Quæ modo marcescit, doctore suo viduata.
Artis grammaticæ penitus periere labores.
Cessat Aristotelis species studiique rigores.
Rhetoricus color emarcet, causæque Catonis;
Desolata jacet rerum natura Platonis.
Vilescit numerus, silet arithmetica cura,
Sublato rectore, jacent geometrica jura.
Plange tuum vatem viduati concio cleri;
Non est qui digne valeat tua jura tueri.
Urbs Lauduna, dole! cecidit tuus ille poeta;
Occubuere simul tua laus et tempora læta.
Francia quæ totum superat, me judice, mundum,
Anselmo similem non est habitura secundum. »

Laudibus ad cælum Marbodus Anselmum attollit et multa ultra modum nobis dicere videtur. Miror præsertim quod « gloria vatum » Anselmus dicatur cum nullum carmen ab eo teneamus cumque poetæ partes eum sustinuisse apud nullum alium auctorem legerimus.

(*Hildeberti opera et Marbodi opuscula ;* ed. Beaugendre, p. 1621 ; ap. Migne, t. 171, p. 1722.)

(2) *Hist. Litt.*, t. X, p. 243 (lege 343).

(3) Charta a Bartholomæo data, anno 1117, sigillum Guidonis Decani et Archidiaconi profert (de Florival. *Barthelemy de Vir*, p. 284).

est, officium vero Cancellarii, antea ab Anselmo (1) diligenter gestum, Radulfo (2) simul ac Archidiaconi dignitas (3) translata sunt.

In capite secundo tractabimus de parte quam obtinuit in schola quam, servando traditum a fratre morem, cum laude semper administravit.

Radulfus anno 1133 obiisse videtur, nam hoc ipso anno, chartam scripsit (4) et mense novembri præterito, chartæ ab Ernaudo cancellario relectæ sunt (5).

In abbatia Sancti Vincentii, ut res ex epitaphio liquet (6), apud fratrem sepultus est.

(1) Sigillum Anselmi Cancellarii sub charta scripta anno 1116 invenies (de Florival; op. cit., n° 11, p. 281).

(3) Anno 1117 duas chartas, utpote cancellarius S. Mariæ, Radulfus relegit (de Florival, op. cit., n° 13, p. 283, n° 14, p. 284).

(3) In charta secunda supradicta, Radulfus Archidiaconi nomine notatur (de Florival, op. cit., n° 14, p. 284).

(4) Anno 1133 charta quædam scripta est a Radulfo adhuc cancellario (de Florival, op. cit., n° 64, p. 347).

(5) Anno 1133 Ernaudus cancellarius chartas scribere ac relegere jam cœpit (de Florival; op. cit., n° 63, p. 346). Anno 1134 idem cancellarii partes sustinuisse videtur et annis sequentibus (op. cit., n° 70, p. 351 et ssq.).

(6) « Appositus patribus dormit cum fratre Radulfus,
Egregius doctor, doctrinam moribus ornans,
Gloria cleri, præco salutis, mitis ad omnes,
Sol patriæ, decus Ecclesiæ, lux fusa per orbem,
Forma boni, fratrisque sui non moribus impar.
Sed quas contulerat diffundens gratia laudes
Subtrahis, o Juli, post idus luce frequenti.
Suscipiant tantos celestia gaudia fratres. »

Hoc epitaphium quod nunc primum in lucem prodimus legitur in Codice Parisiensi (Bibl. nat., n° 13089, fol. 120) simul ac in Codice Suessionensi (n° 24, fol. 1). Tertium versum sine cæsura similiter produnt Parisiense ac Suessionense mss.

CAPUT SECUNDUM

QUA RATIONE, DUM SCHOLAM LAUDUNENSEM REGERET, ANSELMUS DOCUERIT

Clerici, cum omnes cantandi et plerique saltem commode legendi periti esse deberent, propria quadam institutione, ad implenda muneris sui officia, indigebant. Neminem igitur fallit quantæ curæ fuerit episcopis, eo præsertim tempore quo publica Ecclesiæ temperatio componeretur, clericos rationi vitæ cui destinarentur, morali quadam disciplina informari necnon doctrinis et artibus instrui. In monasteriis quidem, ut primum cœnobialis vitæ studio impulsi multi convenerunt, cum tirones continuo adessent, ad sacerdotale munus implendum facile præparabantur. Quotcumque vero monasteria certo tempore exstiterint, permulti clerici, sæculares cognomine, in turba vitam degerunt, eosdemque pueros vel adolescentes, ad futurum vitæ statum, educare episcopis semper oneri fuit.

Cum quidem non jam cœtus, una fidei commu-

nione conjunctus, Ecclesia esset, sed propriis partibus et institutis gaudere cœperit, artium disciplinæ sæpenumero ab ipsis episcopis tradebantur. Sed ubi pontifices, auctoritate a civilibus legibus rata freti, variis administrandi curis urgentur, oneri impares effecti, docendi munus in quo adjutoribus jamdudum usi erant, delectis viris tandem in perpetuum mandant.

Ceterum inde, detrimento potiusquam commodo episcopis fuisset, si docere perseverassent; neque nos fugit papam quemdam episcopo docenda grammatica interdixisse (1).

Quod si ab omnibus antistitibus, necessitatis causa, scholæ sunt conditæ, mente perspicies eas varia ratione, pro temporibus et locis esse constitutas. Quibus in rebus, non secus ac in multis aliis, monachos imitati, clerici sæculares ludos episcopales novis artibus rexerunt.

Cœnobitarum moribus, claustri adjuvantibus pace

(1) « In episcopalibus scholis non modo professores ab episcopis advocatos sed episcopos etiam ipsos docuisse legimus : ut videtur innuere Synesius Ptolemaidis Cyrenicæ episcopus (epist. 57 contra Andronicum), quo loco episcoporum facta improbans qui se negotiis temporalibus applicabant, ait de se ipso : *sed quemadmodum nec Philosophus fui publicus*, *neque theatri spectaculis deditus*, *neque ludum litterarium aperui*. Quasi dicat se non exercuisse scholas publicas ad ostentationem et gloriæ ancupium, ut multi facere solebant.

« Id tamen posteà prohibitum fuit, legimusque a Gregorio Pontifice Maximo quemdam episcopum objurgatum fuisse quod Grammaticam profiteretur. — Eg. Bul. *Hist. univ. Paris*, t. I, p. 81.

et silentio, litterarum studia mire fovebantur. Tum episcopalium scholarum alumni strictioribus præscriptis subacti sunt, quos etiam communis vitæ participes esse paulo post episcopi voluerunt. Ex dictis Bulæi hanc consuetudinem in modum legis, regnante Pipino vertisse videntur (1). Multo tamen ante hæc tempora, Patres quarti concilii Toletani, circa annum Christi 633 habiti, canone 24, pueros clericatum appetentes, vigilanter secretos, prudentique viro creditos, disciplinis erudiri simul ac ad optimos mores informari jusserant (2). Vivendi ratio qua in his scholis utebantur, austero cœnobialium regimine profecto superabatur ; sicut patet ex supradicto canone qui ut indociles alumnos, ad castigationem et emendationem, in monasteria mitterentur præscripserat.

Cum munere sacerdotali posterius fungi vellent discipuli, locus idoneus ad scholam ædificandam

(1) « Ut autem tum scholæ illæ facilius exercerentur, tum episcopi et canonici decentius et religiosius viverent, institutum est, regnante in Francia Pipino, ut more cœnobitarum juxta claustri septa commorarentur et convescerentur. Id., Ibid. »

(2) « Quicumque in Clero puberes aut adolescentes exsistunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori quem et magistrum doctrinæ et testem vitæ habeant. Quod si aliqui ex his pupilli exsistunt, a sacerdotali tutela foveantur ut et vita eorum a criminibus intacta sit et res ab injuria improborum. Qui autem his præceptis resultaverint, monasteriis deputentur ut vagantes animi et superbi severiori regula distringantur. » (*Sacr. Concil. collect.*, t. X, p. 626, D. 2.)

juxta Ecclesiam erat (1). Ubi ipsi episcopali curiæ ludus non contingeret, ibi canonicorum claustrum ad eum excipiendum re ipsa designabatur. Antea, id est eo tempore quo alumni vitæ communis erant expertes, pueri in atrio Ecclesiæ lectiones audiebant ut, nostris adhuc temporibus, qui catechismum discunt (2), Hinc, ab edocendis *parvis*, locum illum aliqui volunt vocatum fuisse « PARVIS » (3).

Canonicus quidam, ab episcopo aut a capitulo delectus, « qui in aliquibus locis *scholasticus*, in aliis *scholaster*, alibi *capischola* seu caput scholæ, alibi *decanus* vel *cancellarius* appellabatur (4) »,

(1) Lauduni Schola juxta episcopalem curiam ædificata esse videtur. Domus vero episcopi Ecclesiam contingebat. Sic, pone Ecclesiam et Curiam, loco ipso quo postea seminarium exstructum est, Anselmus et Radulfus docuerunt. « Il n'est pas constant que les écoles de Laon se soient tenues dans le parvis Notre-Dame parce que nous avons des habitants anciens qui appellent le côté de l'évêché, qui donne vers le faubourg de Vaux, les *escoles*, dont nous pouvons conclure que, selon les apparences, elles se faisaient dans la grande salle de l'évêché. » (Cl. l'Eleu. *Histoire de Laon*, t. I, f. 226 recto.)

Usque ad ultimos octavi decimi sæculi annos servata est Anselmi cathedra. (Cf. D. Bugniâtre. *Hist. de Laon*, t. II, f. 47 verso.)

(2) « Hoc quoque ex variorum auctorum scriptis collegimus plures aliquando fuisse in atrio cellulas magistrales, hodie vulgo *classes* vocamus, pluresque magistros pueris adolescentibus, Clericis et Presbyteris in grammaticalibus et aliis artibus liberalibus, in cantu et psalmodia, in intelligentia Sacrarum Scripturarum, Sacramentorum, Ritualium et Ceremonialium instituendis addictos. » (Eg. Bul. *Hist. univ. Paris*, t. I, p. 82.)

(3) Sunt qui a *Paradisio* illum locum *parvis* vocatum esse arbitrentur. (Cf. Lichtenberger. *Dict. des sc. relig.* .ad parvis; cf. etiam. Littré. *Dictionn.*)

(4) Eg. Bul., loc. cit.

scholæ erat præpositus. Qui quidem canonicus, aliquando Archidiaconus, cum omnes docendi partes solus tractare nequiret, sibi alios magistros, pro rerum necessitate, adjungebat nec humiles viros qui in locis vicanis docerent asservandi cura vacabat (1).

Quod nunc tibi ante oculos porrigitur scholarum regimen nec ubique, nec semper, eadem ratione constitisse asserere ausim. Extremo nempe undecimo et duodecimo ineunte sæculo, quamvis jam paulo ante emendatæ essent, pleræque episcopales scholæ, sive quodam fato, sive incuria, adeo languebant ut nonnulli pontifices clericos suos, utpote externos, in cœnobiales tum florentes scholas, mittere assuescerent (2).

Tunc tamen in capitulo Laudunensi præbenda quædam scholastico erat assignata de qua Alexander tertius, papa, tanquam de re antiqua, loquitur (3).

Antequam autem Anselmus Laudunum rediret, pauci numero erant alumni et doctrina, ut ita dicam, torpebat. Sane ad munus suum implendum, quoad cærimonias spectat, clerici aptabantur; at

(1) Id., ibid, p. 83.

(2) Cf. supra, p. 8, n. 1.

(3) « Pervenit ad nos quod cum in Ecclesia Laudunensi et Ecclesia Tornacensi, ad sustentationem ejus qui scholas regit, beneficium olim deputatum fuisset, sicut per omnes fere alias majores Gallicanas et fuisse quondam adhuc esse dignoscitur... » Alexandri III. Decret. ap. Bul. *Hist. univ. Paris*, t. I, p. 83.

tirocinio, opificum more, potius quam scientiarum traditione informabantur.

Omnino ignaros fuisse Laudunenses levitas et sacerdotes et forte omnem Franciæ clerum nobis Guibertus de Novigento testatur. Nempe cum hic puer esset, magistri qui grammaticam docere possent, in urbibus quoque, difficile inveniebantur (1).

Cum posthac, de Gualdrici cooptatione, in Lingonum urbe, coram papa, disputaretur, summo pontifici presbyteri respondere nequibant qui fortasse ejus verba non intelligerent (2). Durum hoc judicium, non studio extollendi monachos supra sæculares clericos, Guibertus attulisse videtur, quando scholasticos qui, eo tempore quo scribebat, vagabantur doctiores esse quam fuerant sui magistri ipse fatetur (3). Iisdem fere annis quibus, ab Anselmo, Lauduni, renovatio inchoatur, pluribus in locis, multus nec prorsus infelix, ad clericorum augendam scientiam, labor impenditur. Anselmo præcipue res successisse haud invitus fateberis si animadvertere volueris ad hunc magistrum, non solum e vicinis, sed etiam e longinquis regionibus, multos discipulos concurrisse. Quorum nonnulli,

(1) Cf. supra, p. 15, n. 1.

(2) « Ad quod cum nemo presbyterorum respondisset, (nam quidam vix elementa noverant) ad abbates se vertit (sc. Papa). (Guib. de Nov. *De vita sua*, l. III, c. IV, p. 499, A. 1.) »

(3) Cf. iterum supra, p. 15, n. 1.

summis honoribus aucti, virum, a quo Scripturarum scientiam acceperant, in memoria grata semper tenuerunt.

Tibi non perpendenti qua virium imbecillitate marceret schola Laudunensis, Anselmo eam nondum regente, magistrum nostrum ex bono et æquo judicare non licebit. Animo igitur fingere si velis pueros et adolescentes primis litteris et numerorum notitiæ studentes, simulque et potius ad cantum et ad ritus cærimoniasque intentos, quales auditores primum habuit Anselmus, cum scholam recturus, jubente Helimando, Laudunum redierit, tales mentis acie videbis.

Sive e monasterio Beccensi nuper egressus Laudunum venit, sive aliquamdiu Lutetiæ docuit (1), firmis disciplinis instructus, Anselmi Beccensis doctrina plenus erat et, quodam modo, imbutus.

Quantum abesset ut ubertate schola ista præstaret cum comperisset et ægre ferret Anselmus, Beccense gymnasium in quo se liberalibus artibus dederat, in exemplum, ut videtur, assumpsit et, audaci sed cauto animo, Laudunensem scholam emendare est conatus. Sed per debitos gradus procedendum erat.

Omittere porro exercitationes, quibus ad sacer-

(1) Cf. supra, p. 9, n. 3, p. 12, p. 14, n. 2.

dotales partes implendas alumni instruerentur, nefas et illicitum censuit; tirocinium tamen, de quo supra diximus, in melius vertere, adjunctis disciplinis quæ ad mores et intellectus informandos aliquid valerent, et plenius clericali vitæ præparandæ animos accommodarent haud supervacuum æstimavit. Clericos ergo non tantum Scripturarum litteras sed etiam sensum et intelligentiam docere cœpit. Si inceptis res bene succederet, multum discipulis profuturum videbatur quod hinc jam, non inertibus verbis, sed vivo sermone Scriptura sacra exponeretur. A magistro quidam Divinæ Paginæ loci, in varios pro tempore casus, transferebantur (1).

Quod certe occultam viæ rationem ab Anselmo initæ nobis aperit. Neque auditores, neque, ni fallor, ipse magister rerum notitias generatim amplecti valebant. De Scriptura vero nulla controversia erat et omnibus quæ in illa referuntur, inconcussa fide et firmo animo, assentiebantur. Sed primum, verbum pro verbo enucleate expedire decebat.

Quo facilius rem gereret, novam interpretandi dispositionem usurpavit. Si quid difficultatis in legendo alumnis offenderet, id communis commentarii liber, auctore Valafrido Strabone solvere non

(1) Cf. supra, p. 40, n. 1, p. 47.

poterat. Locis enim ex Ecclesiæ Patribus excerptis et imprimis e Divo Augustino Valafridus utens commentaria in Scripturam componebat : verborum autem significatio curæ ei non erat. Ceterum, illa excerpta ad unum non reducebantur et fucatos rerum nexus menti plerumque submittebant, dum via ab Anselmo inita, ad verborum explanationem munitum, ut ita dicam, iter est.

Notis interscriptis Divina Pagina a Magistro continuo illustratur, inde vox *glossa interlinearis*. Qui quidem scribendi modus mirabilis utilitatis fructum alumnis præbet, cum hi, ante oculos, juxta verbum obscurum, lucidum aliud verbum (1) aut paraphrasim (2) habent quibus dubia solvantur, ita ut mens lumine, quodam modo, perfundatur. Nunc translata verba ad directum sensum revocantur (3), nunc ad originem, diductis partibus, vocabula referuntur (4), nunc etiam locutiones brevi interpretatione ornantur (5).

(1) Dixit *Dominus* ad Moysen : vel *Deus*. Dices *ad filios* Israel : vel *filiis*. (*Exod*. III, ap. *Gloss. ordin.*, t. I, p. 504.)

(2) Ego autem in die *ultionis* visitabo : « Romanæ captivitatis vel generalis judicii. » (*Exod.* XXXII, ap. *Gloss. ordin.*, t. I, p. 843.)

(3) *Verbum :* « Filius vocatur *verbum* quia per eum manifestatus est pater in mundo. (Cod. 3589. Bibl. nation., f° 53. Gloss. in Apocal.)

(4) *Significavit :* « Per signa ostendit. » (Ibid. f° 52.)

(5) Dedit : « Ut nihil debens » ; — palam facere : « Scilicet verbo et exemplo » ; — quæ *oportet* fieri : « Quasi *inevitabile* ut fiant et *utile* ut fiant. » (Ibid.) — Dominus Deus vester : « Cujus vos servi. » (*Levit*. XVIII, ap. Gloss. ordin., t. I, p. 1065.

Ex his omnibus quæ supra memorantur, quanto usu docendi, quanta juveniīium animorum notitia vigeret Anselmus, haud ægre intelliges.

Quæ ore primum discipulis audientibus tradiderat, in sua Glossa interlineari, postea congessisse nobis videtur. Cum Scripturam, præsentibus discipulis, magister legit (lector tunc temporis idem est ac magister), quoties verbum obscurum ancepsve ei occurrit, nil impedimenti est quin a lectione desistat donec auditores rem dilucide docuerit. Simul quæstionem ac responsum sic fieri dicas. Quod commentarii genus librorum rationi minime aptum videtur.

Attamen, ita solerti animo Glossam interlinearem Anselmus composuit ut lectoris oculis, simul verba ambigua aut perobscura ac interpretationem qua illustrarentur, perpetuo subjiceret.

Nonne quivis discipulus, cum ex aliis libris explanatio cujusdam loci quærenda est, sæpe a labore abhorret, tædioque affectus, spem intelligendi abjicit, nisi forsan in pejus incidat et quasi omnia intellexisset, gaudio indulgeat ? Suo scribendi modo, Anselmus innatæ cuidam adolescentium segnitiæ succurrebat et legentes, si ita loqui licet, adversus eosipsos tuebatur. Quidquid commodi, aut fere, ars voce docendi præbet, in Glossa nostri scholastici iterum apparet ; nec jam dubitare

possumus quin hinc maxime orta sit fama qua diu floruerit Anselmus apud posteros, quaque schola Laudunensis per plura sæcula memoria viguerit (1).

Non nos fugit quemdam jurisperitum, eodem tempore quo Lauduni Anselmus Glossa interlineari, ad Scripturam explicandam, utebatur, Bononiæ docuisse, nomine Irnerium, natione Italicum qui romanas leges, non alio modo nisi glossatura, interpretatus est (2). Utrum eamdem viam, aliquo casu, simul inierint, an unus magistrorum alterius vestigiis ingressus sit, alii viderint.

Constat Langobardos nonnullos Laudunum venisse qui Anselmi lectionem audirent (3). At nec certum indicium est ex quo pateat Irnerii disciplinam ab eis esse notam et Anselmo nostro traditam, nec hanc ob rem asserere licet eosdem auditores, domum reversos, rationem docendi Laudunensem retulisse.

(1) Cf. Bul. *Hist. Univ. Paris*, t. I, p. 523, et ad catalogum illustrium academicorum qui in eodem volumine legitur, sub nomine Anselmi.

Cf. etiam *Baronii Annal. ecclesiast.*, t. XVIII, p. 296.

Marlot, *Metrop. Remens. Hist.*, t. II, p. 284, 285.

(2) « Les gloses d'Irnerius que l'on trouve dans les manuscrits sont de deux espèces, les gloses interlinéaires et les gloses marginales. Les gloses interlinéaires sont ordinairement des gloses dans l'ancien sens de ce mot, c'est-à-dire l'explication d'une expression isolée par un de ses synonymes. Le plus souvent, le mot à expliquer n'offrant pas de difficulté, la glose est sans intérêt. Mais les gloses marginales où le sens du texte est approfondi attestent le travail et la science de l'auteur. » (De Savigny. *Hist. du Droit romain au moyen âge*, ch. XXVI et XXVII, t. IV, p. 14).

(3) Cf. infra, p. 83.

Quidquid id est, Anselmus quanquam nova molitus est, scholarum consuetudines non omnino abdicavit nec Glossam ordinariam aspernatus est. Qui in suo libro, notis brevibus inter lineas, ut supra dictum est, inscriptis, glossas paulo copiosiores, dextra lævaque, in marginibus prodidit et interpretationi explicationem commentariumque adjunxit.

Præterea, de quibusdam Scripturæ libris vera commentaria ab eo accepimus. In hujusmodi operibus, Divinæ Scripturæ textus proponitur ut amplificetur et in varios sensus versetur. *Dissertationum* instar componuntur « *Enarrationes* ». Sed cum propius intueri verba assuesceret, raro universam quæstionem aliquam Anselmus complexus est. Nec ita apud eum mentis acies unquam viguit, nec ita ingenii vis valuit ut tibi amborum « Enarrationes » conferenti, Hugoni a Sancto Victore par esse videatur (1).

Dum solus scholæ episcopali præfuit, aut cunctis disciplinis operam dedit, aut saltem et rationem studiorum et exercitationes moderari

(1) Expositionem orationis dominicæ inter opera Petri Abaelardi sæpe editam (ap. Migne, Pat. lat., t. 178, p. 491) eruditissimus vir B. Hauréau (Not. et ext. des manuscrits de la Bibliothèque nationale, t. I, p. 30) Hugoni a S. Victore reddidit. Quam expositioni, inter Enarrationes in Matthæum (Migne, *Patr. lat*, t. 162, p. 1305 et ss.), ab Anselmo Laudunensi, de eadem oratione dominica, expeditæ si contuleris, quanto ille Hugo scholastico nostro præstiterit cito æstimabis.

curavit. Sed ubi a Radulfo fratre auxilium petivit illi partim regimen scholarum tradidit.

Radulfus quidem Scripturæ legendæ, præsertim Anselmo mortuo, se dedit et, ad Glossam (1) scribendam, fratri suo viventi succurrit ; liberalibus tamen artibus ac præcipue iis quæ in quadrivio continentur, animum intendit.

Quid de musica docuerit nunc etiam reperies si libellum quem « de Semitonio » scripsit legere non abnueris. Quamvis ad doctrinam pertineant multa in hoc libro inclusa, tamen ad artem clericis maxime congruentem spectant et idcirco utilia fiunt (2).

In productiore libro cui « de Abaco » inscribitur titulus, nec usque ad hoc tempus in lucem edito (3), Radulfus disserit, non de Pythagorea mensa, sed de illa tabula qua, ad calculandum et imprimis ad multiplicandos et dividendos numeros, utebantur. Quem librum si evolvere haud supervacuum recte duxeris, aperte cognosces *apices*, Boetii nomine vulgo notatos, ad quemdam usum, ineunte duodecimo sæculo, usurpatos esse. Tunc quoque, ab oriente ad occidentales populos pervenisse illas figuras putabant, ut Radulfus testatur his verbis :

(1) Cf. infra, pp. 116 et 117.
(2) Cf. infra, p. 125.
(3) Cf. infra, p. 124.

« Instrumenti hujus (scil. Abaci) Assirii inventores fuisse perhibentur quia, *caldeo sermone et litteris* utentes et a dextra scribendi initium sumentes in sinistram... (1). »

Ii quibus signa quæ gallico sermone « chiffres» nunc vocamus, nihil aliud, nisi supradicti « apices » paulatim corrupti, esse videntur, Radulfi auctoritate freti dicere possunt, non ideo quod nostra signa « chiffres arabes » nominamus, sero ea in Occidentem esse delata cum, duodecimo sæculo ineunte, jam ipsi « apices » ab Oriente oriundi existimarentur. Eruditissimus vir Chasles quæsivit an illa figura « zéro » hodie dicta, tum primum sit usurpata ut locum uniuscujusque gradus unitatum deficientis teneret et an sic noster numerorum scribendorum ordo qui nunc vigeat, tempore Radulfi institui cœperit (2).

(1) In codice latino cui scribitur titulus «Liber Radulfi Laudunensis de Abaco » (Bibl. nat., n° 15120) hæc leguntur fol. 1 verso.

(2) « Peut-être quand on aura voulu supprimer les colonnes et ne pas s'astreindre à l'usage d'un tableau préparé pour ce genre de calculs, *aura-t-on laissé seulement celles où se trouvaient des zéros ;* de sorte qu'alors deux petites lignes verticales (formant une colonne) auraient fait l'office de zéro. Ensuite, on aurait changé cette figure en celle du zéro actuel qui est d'une description plus simple. » (Chasles, *Aperçu histor. sur l'origine et le développement des méthodes en géométrie*, p. 470.)

« Il ne resterait à résoudre au sujet de cet abacus » (*scil. liber de numerorum divisione, Gerberto seu Beda auctore*) « que la question de savoir si cette innovation heureuse, l'emploi du zéro, a été un perfectionnement du système même de l'Abaque, ou bien si les Européens l'ont prise dans l'arithmétique arabe vers le XI^e ou le XII^e siècle. » (Chasles, op. cit., p. 507.)

Quinimo, in eam spem inducitur Chasles ut liber Radulfi « de Abaco », si quis eum in lucem proderet, ad hanc quæstionem illustrandam aliquid afferre posset (1).

At si liber « de Abaco » confirmat Radulfum figuræ cui *sipos* nomen est haud ignarum fuisse et eam ad certas partes reservasse, per eumdem quoque librum manifestum fit hoc signum, nullo modo, locum nostri « *zéro* » tunc obtinuisse. In nulla tabularum quæ in opusculo exhibentur, figura *sipos* nominata, numeri vice fungitur (2). Gradus unitatum si quis deficit, loculus quidam vacuus relinquitur.

Ex his quæ a Radulfo disseruntur de munere figuræ *sipos* indicto, ægre existimares hoc signum paulatim partes nostri « *zéro* » usurpare potuisse. Ceterum Radulfus ipse inducatur : « Sed quia plerumque continget ut plurima tam multiplicationum quam multiplicandorum caracterum numerositas invitum, attentum calculatorem ineluctabili errore confundat, insinuandum videtur, qua industriæ cautela, hujusmodi evitari possit offensa. Meminisse debes quia, cum superius de descriptione tabulæ loqueremur, in ultima terminorum, arcuum supraductionem, quamdam figuram cui

(1) Cf. Chasles, op. cit., p. 508, ad notas.

(2) Cf. Codicem (Bibl. nat., n° 15120) supradictum, folio 15 verso, fol. 16 recto, 17 recto, 32 recto, etc.

sipos nomen est, ⊙, in modum rotulæ formatam, nullius numeri significativam inscribi solere prædiximus. Cui operam in sequentibus perfuturam promittebamus. Sic quasdam figuras hujusmodi providus abaxista in calculis effigiabit et ad eum, de quo agitur, usum reservabit.

« Cumque aliquam talem multiplicationem facere necesse fuerit, ut metuendum sit ne dispositorum caracterum multitudo in errorem inducat, una ex his rotulis multiplicatoribus, altera multiplicandis, ad eliminandum errorem pro signo superponatur, ita ut, dum primus multiplicator multiplicandos caracteres sua quantitate percurret, ipse super verticem, donec omnes multiplicandos mensus fuerit, immobilem rotulam gerat.

« Quæ vero multiplicandorum rotula superponetur per singulos eorum, a primo usque ad postremum ; prout cum eis primus multiplicator rationem habebit, transportabitur.

« Sicque per primum multiplicatorem opera expleta, super secundo multiplicatore rotula ponetur ; ab ultimo autem multiplicandorum ad primum rotula reportabitur. Dum eum secundus multiplicator sua quantitate metietur et dum singulos rotula eorum multiplicando præcedet, per singulos rotula usque ad ultimum, eo quo prædiximus ordine, transfertur.

« Quæ vero, ut dictum, super multiplicatore rotula posita fuerat, immobilis permanebit, donec omnes superiores metiendo, operam suam explevit. Et sic ad alium multiplicatorem transibis.

« Quod ita diu faciendum erit donec, per omnes multiplicatores rotula permota, per singulos eorum tota multiplicandorum decursa fuerit summa (1). »

Tibi omnia quæ supra dicta sunt perpendenti Radulfus videbitur ingredientes artis vestibulum docuisse. Nihil aliud est abacus ille de quo disserit quam organum quoddam ad imaginem nostri *boulier-compteur* fictum atque compositum. Attamen, Anselmo defuncto, archidiaconus ipse factus et scholæ regendæ præpositus (2), relictis liberalibus artibus, Scripturæ legendæ se totum dedit.

Quamvis conjecturis potius quam documentis de hac re utamur, Radulfum Anselmi vestigiis ingressum esse putamus; neque ullo modo a ratione docendi quæ in schola Laudunensi vigeret discessit, neque discipulorum mores mutavit.

Eodem tempore quo, concurrentes e diversis regionibus, auditores frequenti corona Anselmum cinxerunt, magister ille non est oblitus scholam episcopalem ad clericos instituendos esse conditam.

(1) Leguntur hæc in libro Radulfi de Abaco (cod. lat., 15120, Bibl. nat.) fol. 11 verso, fol 12 recto.

(2) Cf. supra, p. 50 et p. 51, not. 3.
Cf. *Hermanni de Mirac S. M. Laud.*, ap. Guib. op., p. 545, C, 2.

Cum sacerdotale munus apte et decenter explere non est, nisi auctoritati Ecclesiæ et Scripturæ potestatique pontificum te submittas, plus valet ad sacerdotem informandum consulere moribus quam ingenio, plus studio erga bonum quam egregiis animi dotibus.

Itaque Anselmus, dum aperto sermone de Scripturis loquebatur, maxime curabat ut singulorum discipulorum animum, quodam modo, inspiceret et meliorem in dies faceret (1). Anselmum Beccensem magistrum suum æmulatus, mitis fuit in suos discipulos (2). Gravitas a qua nunquam discedebat auctoritatem ei suppeditabat (3).

Admonitionibus plerumque pepercit qui eas vanas sæpe evadere expertus, levem jocum plus interdum pollere quam vituperationem recte sensit. Quod constat ex illa vera fabella ab Idungo Sancti Emmerami monacho narrata : « Magister Anselmus Laudunensis commonitus a fratribus suis, ut quemdam discipulum suum luxuriantis vestis

(1) « Guidonem laudabilis Anselmi familiaritas commendavit, exercuit clementia, gravitas coercuit, instituit fides, formavit doctrina, exemplum eliminavit a discipulo quidquid displiceret in homine. Anselmus enim plus moribus quam personis, plus ingenio quam generi, plus Deo detulit quam homini. » (*Gesta Guidonis Cenomanensis episcopi*, ap. Mabillon, Vetera analecta, p. 319, 320.)

(2) Cf. *Anselli vitam*, auctore Eadmero, ap. Anselmi (divi) opera, ed. Gerberon, p. 8.

Cf. etiam quamdam epistolam ejusdem Anselmi inter Opera, ed. Gerberon, p. 400.

(3) Cf. supra, n° 1.

nimia superfluitate notabilem argueret, respondit : *Et ego, unde haberem præconem qui per vicos et plateas ipsum præcederet clamando « Ecce leccator ! « cavete ab ejus leccacitate ! » Vestis ejus non est muta ; idipsum loquitur, idipsum præconatur* (1). »

(1) Idungi Cœnobitæ Emmeramensis lib. quatuor quæstionum ap. Pez. (*Thesaur. noviss. anecdot.*, t. II, part. III, p. 514, C. et D. 2.)

CAPUT TERTIUM

QUI PRÆCIPUI FUERINT ANSELMI DISCIPULI

Multi undique convenerunt discipuli qui juri diocesis Laudunensis non subjiciebantur nec in éa regione sedem collocare destinabant. Antea condita unice ad instituendos Ecclesiæ Laudunensis clericos, tunc schola episcopalis facta est Academia quædam in qua Itali, Angli, Germani, Slavique, Gallis admiscebantur (1). Viri etiam simul ac juvenes ad audiendum Anselmum festinabant. Magistri nonnulli qui jam, aliis in locis, summa cum laude, docuerant Laudunum venerunt (2).

Quid mirum si scholasticum nostrum, jam inclytum et fama florentem, tot et tanti magistri, iisdem artibus ac disciplinis quas ipse profiteretur inservientes, adire et audire necessarium duxerint? Hujus vero famæ præstantis causam frequentes discipulos esse facile dixeris; sed cur tam multi,

(1) Cf. infra, pp. 78, 79, 80, 81, 82, 83.

(2) Inter quos Petrus Abaelardus et Vicelinus menti nobis occurrunt. Cf. infra pp. 82 et 83.

multos per annos, Laudunum convenerint perquirere et definire ne omittamus.

Imaginem Anselmi si, ex rebus publicis quarum pars fuit, ex occasionibus in quibus honores aut sibi aut suis oblatos recusavit effinxeris, non is fuisse tibi videbitur qui auditores artificiis allexisset. Ad prosperam scholæ fortunam res ipsa seu fatum plurimum valuit. Laudunensis schola prima fuit quæ nolentibus vel nequientibus intra scholas cœnobiales doceri, studendi copiam dedit. Cum plerisque hujusce temporis ludis præstaret, clarissimis etiam æmula fuit.

Nemo in scholis cœnobialibus, inter quas maxime conspicua erat Beccensis, disciplinis studere poterat quin monachorum regulæ pareret. Itaque multi adolescentes, quanquam discere cupiebant, a spe et conquisitione liberalium studiorum animos avertebant.

Ceterum si quis diligenter præceptis Becci traditis operam dare vellet, variis disciplinis, secundum ordinem, seu per gradus debitos, laborem impenderet erat necesse. Quisquis ergo adolescentibus annumerari desierat, scholas cœnobiales ingredi non poterat.

At quia Laudunensis schola paulo ante languescebat et modicis rebus, scilicet clericis informandis destinabatur, Anselmus, cum eam regere cœperit, ingeniis mediis et parum litteratis auditorum lec-

tiones suas accommodare constituit. Ita juvenibus nec eruditis, nec acutis theologiam ipsam apertam fecit. Quæ præsertim causa fuit, ut arbitramur, cur tot discipuli in lectiones Anselmi, si ita loqui licet, irruerint.

Perennis commercii gratia, ad nostrum scholasticum nonnulli auditores, ab Anselmo, abbate Beccensi anno 1078 facto, posteaque Cantuariensem sedem adepto, plerique ex Anglia sunt missi. Reges Angliæ qui, e cœnobio Beccensi primum Lanfrancum, deinde Anselmum, cognomine Divum, eduxerant ut vicissim uterque Cantuariensis archiepiscopus fieret, sacerdotibus et clericis sibi devotis abundare suam regionem cupiebant. Ad hanc rem, Beccense cœnobium, instituendis monachis potiusquam clericis aptum, non plane pertinebat. Donec scholæ idoneæ in Britannia florerent, gymniasum Laudunense cui præerat vir prudens, olim Lanfranci Anselmique Beccensis discipulus, clericos Anglos docendos convenienter excepit.

Quapropter, cum Gualdricus episcopus eligitur, secum Laudunum adducit filios cancellarii Radulfi Flambard. Eorum præceptor ipse venit et, curiæ episcopalis simul hospes, Anselmi nostri lectiones assidue audit (1). Alexander et Nigellus cognati

(1) Quod supra retulimus p. 17 hoc Hermannus monachus narrat in libro suo de Miraculis S. Mariæ Laudun., « Cantuariam venimus

Sarisberiensis episcopi (1), Agardus (2), et Angli alii permulti non secus quam ille egerunt.

In Angliam reversi, Anselmi discipuli summa munera obiere : Rodolfus fit Roffensis episcopus; Gaudrifus Brito, antea Rothomagensis episcopus, in Cantuariensem archipræsulem anno 1113 eligitur. Anno denique 1123, cathedram Cantuariensem unus ex auditoribus Anselmi, Guillelmus de Corbolio adipiscitur.

Omnes qui, fama Anselmi attracti, Lauduni manserunt, percensere ac singillatim appellare non aggrediemur ; attamen nomina multorum exstant qui ad summos gradus dignitatis in Ecclesia sunt evecti.

Priores partes Guillelmo de Campellis seu Campellensi, procul dubio, tribui decet. Petrus Abaelardus (3), Anonymus ille auctor Chronici Maurigniacensis (4), Pagius (5), Morinus (6),

ubi tunc erat archiepiscopus Domnus Guillelmus nobis notissimus, quoniam jamdudum pro audienda lectione magistri Anselmi Laudunum petens, multis diebus in episcopi domo manserat, ibique filios Radulphi Cancellarii Regis Anglorum docuerat. » (Herm., *de Mirac. B. M.*, ap. Guiberti opera, edit. Acher., p. 536, D et E. 1.)

(1) Cf. infra, p. 81.

(2) Cf. infra, p. 79.

(3) In epistola de calamitatibus suis. Vide infra, p. 84.

(4) In Chronico laudato a D. Martenne Thesauri novi anecdotorum auctore, t. V, p. 877 (lege 879) et 880.

(5) Cf. Pagii notas ad Annales ecclesiast. Baronii, t. XVIII, p. 296, ad annum 1117.

(6) « Guillelmus senex studium theologicum excoluit et antequam

Bulæus (1), Marlot (2), in hoc consentiunt quod Guillelmum Anselmi discipulum fuisse dicunt. Nec ab illa sententia discrepant eruditissimi viri Ch. de Remusat (3), et B. Hauréau (4).

Ubi vero et quando Guillelmus Anselmum audierit definire non ausim. Auctori chronici Maurignia censis videtur tum adolevisse. Contra, Morinus Guillelmum jam ætate provectum, ad Anselmum venisse asserit. At Morinum redarguet res ipsa, si observaveris Guillelmum, circa annum 1068 (5)

disciplinæ canonicæ sese addiceret, vir tota Gallia celeberrimus et philosophiæ magisterio multis annis defunctus, Laudunum clavatum, ut Anselmi theologiam docentis dictata exciperet, ses e contulit. » (*Morini de Pœnitentia*, p. 777, A, 1.)

(1) « Inter alios vero lectionum suarum auditores, habuit (scil. Anselmus) hosce viros insignes et magistros, Guillelmum Campellensem qui, et ipse, magisterii dignitate et munere perfunctus, ad Catalaunensem episcopatum promotus est. » (Eg. Bul. *Hist. Univers. Paris*, t. II, p. 47.)

(2) « Hic (scil. Anselmus) fere per totam vitam Lauduni sacras litteras docuit cum tanta nominis celebritate ut, ex remotissimis etiam regionibus, scientiarum avidi in ejus scholam convolarint, inter quos hi passim nominantur, qui Galliam sua doctrina et sapientia illustrarunt, Matthæus Albanensis, Guillelmus de Campellis Catalaunensis episcopus, Albericus Remensis Primas Aquitaniæ, Guillelmus Cantuariensis episcopus, Gilbertus Porretanus episcopus Pictavensis, Algarus Constantaniensis episcopus et Petrus Abailardus. » Marlot, *Metrop. Remensis Histor.*, t. II, p. 284.)

(3) « Guillaume de Champeaux, après avoir étudié sous Manegold et Anselme de Laon qui professaient à Paris, y devint le chef de l'enseignement. » (Ch. de Rémusat. *Abélard*, t. I, p. 11 sub nota.)

« Après avoir étudié sous Anselme de Cantor béry, Anselme de Laon avait commencé à enseigner lui-même à Paris et Guillaume de Champeaux était un de ses disciples. » (Ibid., p. 35.)

(4) Cf. B. Hauréau. *Hist. de la philos. scolast.*, t. I, p. 295.

(5) B. Hauréau Guillelmum circa annum 1070 natum esse putat

natum, nondum quinquaginta annos absolvisse cum jam Anselmus, anno 1117 obiisset. Testimonio Morini omisso, caventesque ne iterum in errorem ab eo inducamur, non putamus Guillelmum, ad audiendam Anselmi lectionem, Laudunum venisse.

Ex quo potest probabiliter confici Anselmum Lutetiæ primo esse professum. Si enim omnes fatentur Guillelmum ejusdem Anselmi auditorem fuisse, nec id potest Lauduni evenisse, Bulæo assentiemur dicenti Anselmum Lutetiæ aliquamdiu docuisse priusquam in patriam revocatus regressusque sit. Ita gubernaculum scholæ Parisiensis Guillelmo Campellensi tunc tradidisse videretur (1). Sententiam ab auctore capitis de Guillelmo in Historia litterarum apud Francos sic probamus (2), quæ discrepat ab opinione quam legere est in ejusdem libri capite de Anselmo Laudunensi (3).

(*Hist. de la phil. scolast.*, t. I, p. 320). Rousselot autem annum 1068 indicit. (Rousselot, *Etudes sur la philosophie du moyen âge*, t. I, p. 247.)

(1) Anno 1089, Anselmus, Laudunensis Decanus Ecclesiæ factus, scholam Parisiensem Guillelmo Campellensi reliquit et ipse Lauduni celeberrimam in dialectica et theologia scholam instituit. » (Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris*, t. II, ad annum 1089).

(2) Cf. *Hist. litt. de France*, t. X, p. 307.
Ejusdem capitis de Guillelmo auctori (ibid., p. 309) si credas, iterum Guillelmus senex Anselmi discipulis annumeraretur.
Huic opinioni assentitur Michaud (*Guillaume de Champeaux et les écoles de Paris au* XII[e] *siècle*, pp. 78 et 79. — Paris, 1867.)

(3) *Hist litt. de la France*, t. X, p. 174.

Quæ cum ita sint, eo commercio quo magister et discipulus utuntur non diu sunt conjuncti ; sed uniuscujusque personæ si attenderis animum, haud dissimiles tibi videbuntur. Inter « realium fautores » Anselmus non aliter ac Guillelmus numeratur (1) et ad Campellensem, per Laudunensem magistrum, Anselmi Beccensis, « realibus » potius indulgentis, sententia forsan transiit (2).

Scholastici nostri et Catalaunensis episcopi nomina sæpe copulantur. Cum Rupertus monachus, duobus libris adversus eos scriptis nondum contentus (3), e monasterio suo esset egressus ut Anselmum, publica contentione, refelleret, Guillelmum quoque erroris convincere in spe habebat. In Catalaunensem episcopum, Anselmo, die ipso quo pervenit Laudunum, mortuo, protinus impetum fecit (4). Imo uterque cum Petro Abaelardo gravem habuit conflictum (5).

Nulla quidem epistolarum assiduitas inter utrumque exstitisse videtur; sed eos certe semel, cum Guillelmus consecrationis Ecclesiæ Laudunensis

(1) Cf. supra, p. 47.

(2) « Elève d'Anselme de Laon qui s'était formé sous saint Anselme, Guillaume continua le réalisme et même il paraît l'avoir exagéré. » (Ch. de Rémusat. *Abélard*, t. I, p. 11.)

(3) Cf. infra, p. 113.

(4) Cf. infra, p. 114.

(5) Cf. Ch. de Rémusat. *Abélard*, t. I, pp. 11 et 12. Cf. etiam infra, p. 87.

instauratæ interfuerit, convenisse et colloqui potuisse constat (1).

Sententiarum denique libros unus et alter ediderunt (2).

GISLEBERTUS seu GILBERTUS, PORRETANUS cognomine dictus, ab Ottone Frisingensi (3) et a Marlot (4) Anselmi discipulis annumeratur. Ex Codice quodam in Bibliotheca Oxoniensi servato, non aliud efficitur. Infra (5) cognosces eumdem auditorem magistro, ad Glossam componendam, opem tulisse. De illo Gisleberto qui Pictavensis episcopus est factus, caput scriptum est in Historia litterarum apud Francos (6).

GUIDO qui Cenomanensem sedem postea occupavit, Scripturam interpretari a magistro Anselmo, teste auctore « Gestorum Guidonis episcopi », didicit. Nec solum disciplinarum eum participem magister fecit, sed etiam multis virtutibus imbuit (7).

(1) « Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quarto decimo... octavo idus septembris, tertio videlicet die ante nativitatem Beatæ Mariæ ad dedicationem... Bartholomæus episcopus accersivit secum Radulphum Remorum archiepiscopum, Guillelmum Catalaunensem episcopum, etc... » (Hermanni. *De Mirac. S. Mariæ*, l. III, 1, ap. Guib. opera, p. 543, B. et C. 1.)

(2) Cf. infra, p. 126.

(3) Otton. Frising. *De gestis Eriderici*, I, 50, p. 223.

(4) Loco laudato supra, p. 75, n. 2.

(5) Vide infra, p. 116 et 117.

(6) *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 466.

(7) Mabillon. *Veter. analect.*, loc. cit. supra, p. 69, n. 1 et p. 70, n. 1.

ALGARUS seu AGARDUS a Marlot (1) et ab auctoribus Historiæ Litterarum apud Francos (2) Anselmi vocatur discipulus. Qui canonicos Laudunenses, teste Hermanno monacho, animo benevolo excepit cum adhuc esset clericus apud Danauexeriam, in Anglia (3).

Urbis Constantaniensis, in Normannia, episcopus deinde est factus.

HUGO METELLUS, Turonensis qui anno 1080 natus est, ad lectionem Anselmi audiendam Laudunum venit (4).

HUGO AMBIANENSIS libenter memorat in litteris ad Matthæum Albanensem episcopum missis, se Lauduni esse « educatum » (5). Rothomagensis archiepiscopi partes jam erat adeptus. Quæ confirmantur in capite quod de eo scripserunt auctores Historiæ litterarum apud Francos (6).

MATTHÆUS, ALBANENSIS episcopus, ut testatur

(1) Loco laudato supra, p. 75, n. 2.

(2) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 175.

(3) « Venimus in provinciam quæ vocatur Danauexeria... Ibi nos plurimum honoravit quidam clericus, nomine 'Agardus, qui jamdiu Lauduni manserat, quique postmodum in Normannia factus est episcopus urbis Constantaniensis. » (Hermanni. *De Mirac. S. Mariæ*, II, 15 ; ap. Guib. opera, p. 539, E. 2.)

(4) *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 494.

(5) « Nos et una generis consanguinitas et ejusdem professionis in Christo junxit societas (quos Francia genuit), quos Laudunense solum educavit et docuit. » (*Epist. Hugonis Rothomagensis archiepiscopi ad Matthæum Albanensem episcopum*, ap. D. Martenne, Thesaur. nov. anecdot., t. V, p. 897.)

(6) *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 647.

supradicta epistola, ipse apud Anselmum, una cum Hugone Ambianensi, Scripturæ studuerat (1). Marlot (2) et auctores Historiæ litterarum apud Francos (3) de hac re consentiunt.

Rodolfum qui Roffensis episcopus in Cantuariensem archipræsulatum est translatus, a Bulæo in numerum discipulorum Anselmi adscribitur (4).

Inter eos qui Lauduni diu manserant « pro audienda lectione magistri Anselmi », Robertus quidam, postea Archidiaconus Essecestræ factus, grato animo erga scholasticum semper fuit et canonicos Laudunenses qui in Angliam venerant, comi hospitio excepit (5).

Gaufridus Brito, ut scholæ Laudunensis alumnus a Pagio datur (6). Nec episcopale munus ei defuit qui ab Henrico rege ad sedem Rothomagensem est vocatus (7).

(1) Cf. supra, p. 79, n. 5.

(2) Loco citat. supra, p. 75, n. 2.

(3) *Hist. litt. de la France*, t. XIII, p. 52.

(4) Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris*, ad annum 1113, t. II, p. 43.

(5) « Venimus ad urbem quæ dicitur Essecestra, ubi erat Robertus Archidiaconus qui diu manserat Lauduni, pro audienda lectione magistri Anselmi. A quo gratantissime suscepti mansimus ibi per septem dies. » (Herm. *De Mirac. B. Mariæ*, II, 12; ap. Guib. op., p. 539, A. 1.)

(6) Pagii *not. ad Annal. ecclesiast. Baronii*, t. XVIII, p. 296.

(7) « Anno ab Incarnatione Domini 1111, indictione IV, Goisfredus Brito, Cenomanorum Decanus, a rege Henrico in Angliam accitus est et Rothomagensibus pontifex constitutus est. Hic eloquentia et eruditione pollens clerum et populum catholice docuit, Ecclesiæque Dei, XVII annis, utiliter præfuit. » (Orderici Vitalis. *Hist. eccles.*, III, 11, § 20, ap. Migne. Pat. lat., t. 188, p. 344, C.)

Alexander et Nigellus fratres, ambo cognati Rogerii Sarisberiensis episcopi, si Hermanno monacho credas, « diu manserunt Lauduni » ut Anselmum audirent (1).

Nigellus postea episcopus est factus (2).

Guillelmus de Corbolio, seu Corboliensis, præceptor is fuit qui filios Radulfi Flambard cancellarii docebat et una, cum Gualdrico episcopo, Laudunum venit ut ipse circa scholas Anselmi esset assiduus (3).

In Angliam reversus, canonicos Laudunenses cum iter fecerint, benigne tractavit (4).

Cantuariensis archiepiscopus etiam est electus (5). De eo caput legitur in Historia litterarum apud Francos (6).

(1) « Ad urbem Salesberias pervenimus, ubi honorifice suscepti sumus ab episcopo ipsius urbis, pro notitia magistri Anselmi, quoniam cognati ejus (sc. episcopi), Alexander et Nigellus ad scholam ejus (sc. Anselmi) diu manserant Luduni. » (Herm. *De Mirac. S. Mariæ*, II, 13, ap., Guib., op., p. 539, B. 2.)

(2) *Hist. litt. de la France*, t. XIII, p. 403.

(3) « Guillielmus, credo Gallus, de Corbolio, de Chiche cognominatus, anno 1113, ab Henrico I, Anglorum rege, archiepiscopatu donatus, præceptor fuerat filiorum Radulfi, ejusdem regis cancellarii, viri in regno Anglicano potentissimi. » (Eg. Bul. *Hist. univ. Paris*, t. II, p. 47.)

(4) « Cantuariam venimus, ubi tunc erat archiepiscopus Domnus Guillelmus, nobis notissimus, quoniam jamdudum, pro audienda lectione Magistri Anselmi, Laudunum petens, multis diebus in episcopi domo manserat, ibique filios Radulphi cancellarii regis Anglorum docuerat. Hic ergo, cum ingenti gaudio nobis occurrens, honorificentissime nos cum monachis sancti Augustini suscepit et, quamdiu voluimus, benigne retinuit. » (Herm. *De Mir. S. Mariæ*, II, 6, ap. Guibert. op., p. 536, D et E. 1.)

(5) Cf. supra, n. 3.

(6) *Hist. litt. de France*, t. XIII, p. 55.

Franco (1); Philippus Hasvengius, abbas Bonæ Spei (2); Anselmus de Custella et Olricus, vice dominus Mediolanensis (3); Vicelinus, postea Aldeburgensis episcopus; Thietmarus, ut erudirentur et instituerentur, Lauduni consedisse videntur (4).

Utrum Vuibaldum, de quo disseritur in Historia litterarum apud Francos (5), in numerum discipulorum Anselmi referre deceat, annon dicere non ausim. Viubaldus enim, abbas Stabulensis et Corbeiensis, in litteris ad Manegoldum missis, narrat se vidisse Anselmum Laudunensem et nonnullos inclytos professores; sed cum dicit se vidisse Anselmum non affirmat se audivisse eum ut magistrum (6).

(1) *Hist. litt. de la France*, t. IX, p. 35.

(2) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 176. — Vide etiam *Philippi abb. Bonæ Spei opera* (in-folio, Duaci. 1621).

(3) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 175.

(4) « Krantzius, *l. V*, *Metropolis*, de Vicelino agens, *Postea*, inquit, *cum quodam juvene Thietmaro perrexit in Franciam studuitque sub magistris Radulpho et Anselmo. Tribus igitur annis in studio transactis, reversi sunt. Thietmarus Bremæ fit canonicus; Vicelinus, Magdeburgensem veniens archiepiscopum, fit sacerdos.* Hic (scil. archiepiscopus) est Norbertus fundator Ordinis Præmonstratensis, creatus archiepiscopus anno MCXXVII. » (Apud *Acta sanctorum*, die decima septima maii; t. IV, p. 42, F. — Antuerpiæ, MDCLXXXV.)

(5) *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 550.

(6) « Quid loquar de ceteris viris doctissimis qui, post prædictos, in Ecclesia Dei, scribendo et disserendo præclara sui ingenii monumenta reliquerunt? Bedam dico et Ambrosium, Heimonem, Autpertum, Rabanum, Johannem Scotum et multos præterea quorum opera legimus, necnon illos *quos vidimus*, *Anselmum Laudunensem*, Wilhelmum Parisiensem, et alios plurimos quorum doctrina et scriptis mundus impletus est...» (*Epist. Vuibaldi*

Albericus Remensis et Lotulfus Lombardus, amicitia conjuncti (1), procul dubio, diu apud Anselmum manserunt (2). Albericus, Biturigensis archiepiscopus et primas Aquitaniæ est electus (3). Ambo illi discipuli sunt qui Anselmo aperuerunt artes quibus Abaelardus auditorum animos sibi conciliare aggressus esset et malæ invidiæ, si Anselmi æmulo credas, indulserint.

Sed ad Petrum Abaelardum ipsum tandem veniamus. Quamvis Anselmus, dum viveret, fama præclara floruerit, memoria ejus forte oblivione esset deleta, nisi cum uno e suis auditoribus, felice jam Guillelmi Campellensis adversario, notissimo Petro Abaelardo, contentionem et fere certamen magister iniisset.

Philosophiam, Parisiis, magna cum laude Abaelardus docuerat, Guillelmum animo fractum, loco cedere coegerat cum, ex improviso, theologiam profitendi cupidus, ad Anselmum, magistrum tunc temporis nominatissimum, se contulerit. Bulæo videtur anno 1113 Laudunum venisse et anno 1114 Lutetiam rediisse (4). Sed quia Lauduni paulo est

abbatis Stabulensis et Corbeiensis ad Manegoldum, scholæ magistrum majoris ecclesiæ, in Partherburna canonicum; ap. D. Martenne ; Ampliss. collect., t. II, p. 334, C.)

(1) Cf. *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 72.

(2) Marlot. *Metrop. Rem. hist.*, loco laudato suprà, p. 75, n. 2. — Lege etiam Petri Abaelardi epist. de calam., infr., p. 87.

(3) *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 72.

(4) Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris.*, t. II, p. 40.

commoratus (1), propius vero est eum hoc anno demum 1114 advenisse; Guillelmus enim qui, anno 1113, Catalaunensis episcopus est factus (2) hanc sedem erat jam adeptus, teste ipso Abaelardo, cum hic ad Anselmum accesserit (3).

Inquieto animo præditum fuisse Abaelardum constat; sed hanc quam diximus viam ingressus majorem laudem sibi comparare confidebat. Cum omnes philosophica lectione præstaret, ægre tolerabat judicia illorum qui invidiæ nimis indulgentes, eum liberalium artium et profanarum disciplinarum quidem peritum, sed Scripturæ et theologicæ doctrinæ expertem esse pronuntiabant. Ei in pretio erat demonstrare se, in quavis exercitatione, nulli esse secundum.

Res tamen, præter opinionem ejus evenit. Quam ipse ita narravit : « Guillelmus in episcopatu Catalaunensi pollebat. In hac autem lectione (scil. theologiæ) magister ejus, Anselmus Laudunensis, maximam ex antiquitate auctoritatem tunc tenebat.

« Accessi igitur ad hunc senem cui magis longævus usus quam ingenium vel memoria famam comparaverat. Ad quem si quis, de aliqua quæstione, pulsandum accederet incertus, redibat incertior.

(1) Petri Abaelardi. *Epist. de calamit.*, loc. laud. infrà, p. 88.

(2) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 310.

(3) Vide infrà, p. 84.

Mirabilis quidem erat in oculis auscultantium, sed nullus in conspectu quæstionantium ; verborum usum habebat mirabilem, sed sensu contemptibilem, ratione vacuum : cum ignem accenderet, domum suam fumo implebat non luce illustrabat.

« Arbor ejus, tota in foliis, aspicientibus a longe conspicua videbatur, sed propinquantibus et diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur. Ad hanc itaque cum accessissem, ut fructum inde colligerem, deprehendi illam esse ficulneam cui maledixit Dominus (*Matth.*, xxi, 19 *et Marc.*, xi, 13); seu illam veterem quercum cui Pompeium Lucanus comparat dicens :

..... Stat magni nominis umbra,
Qualis frugifero quercus sublimis in agro.
Lucan., *Pharsal.*, iv, 35.

« Hoc igitur comperto, non multis diebus in umbra ejus jacui. Paulatim vero me rarius ad lectiones ejus accedente, quidam tunc inter discipulos ejus eminentes graviter id ferebant, quasi tanti magistri contemptor fierem. Proinde illum quoque adversum me latenter commoventes, pravis suggestionibus ei me insidiosum fecerunt. Accidit autem quadam die ut, post aliquas scientiarum collationes, nos scholares invicem jocaremur. Ubi cum me quidam, animo intentantis, interrogavisset quid mihi, de divinorum lectione librorum videretur,

qui nondum, nisi in physicis, studueram, respondi saluberrimum quidem hujus lectionis esse studium ubi salus animæ cognoscitur, sed me vehementer mirari quod, his qui litterati sunt ad expositiones sanctorum intelligendas, ipsa eorum scripta vel glossæ non sufficiant, ut alio silicet non egeant magistro.

« Irridentes, plurimi qui aderant, an hoc ego possem et aggredi præsumerem, requisierunt. Respondi me, id si vellent experiri, paratum esse. Tunc conclamantes et amplius irridentes : « *Certe*, inquiunt, *et nos assentimus*. — *Quæratur*, inquam, *et tradatur nobis expositor alicujus inusitatæ scripturæ et probemus quod vos promittitis*. » Et consenserunt omnes in obscurissima Ezechielis prophetia.

« Assumpto itaque expositore, statim in crastino eos ad lectionem invitavi. Qui invito mihi consilium dantes dicebant ad rem tantam non esse properandum, sed diutius, in expositione rimanda et firmanda, mihi hanc inexperto vigilandum.

« Indignatus autem respondi non esse meæ consuetudinis per usum proficere, sed per ingenium, atque adjeci vel me penitus desiturum esse, vel eos, pro arbitrio meo, ad lectionem accedere non differre. Et primæ quidem lectioni nostræ pauci tunc interfuere, quod ridiculum omnibus

videretur me, adhuc quasi penitus sacræ lectionis expertem, id tam propere aggredi.

« Omnibus tamen, qui adfuerunt, in tantum lectio illa grata exstitit ut eam singulari præconio extollerent et me, secundum hunc nostræ lectionis tenorem, ad glossandum compellerent.

« Quo quidem audito, ii qui non interfuerant cœperunt ad secundam et tertiam lectionem certatim accedere et omnes pariter, de transcribendis glossis quas prima die inceperam, in eo ipso eorum initio, plurimum solliciti esse.

« Hinc itaque prædictus senex, vehementi commotus invidia et quorumdam persuasionibus jam adversum me, ut supra memini, exhinc stimulatus, non minus in sacra lectione me persequi cœpit quam antea Guillelmus noster in philosophia. Erant autem tunc in scholis hujus senis duo qui ceteris præeminere videbantur, Albericus scilicet Remensis et Loculfus Lombardus : qui quanto de se majora præsumebant, amplius adversum me accendebantur. Horum itaque maxime suggestionibus, sicut postmodum deprehensum est, senex ille perturbatus impudenter mihi interdixit inceptum glossandi opus, in loco magisterii sui, amplius exercere, hanc videlicet causam prætendens ne, si forte in illo opere aliquid scriberem, utpote rudis adhuc in hoc studio, ei deputaretur.

« Quod cum ad aures scholarium pervenisset, maxima commoti sunt indignatione super tam manifesta livoris calumnia quæ nemini unquam ulterius acciderat.

« Quæ quanto manifestior, tanto mihi honorabilis exstitit et persequendo gloriosiorem (scil. me) efficit.

« Post paucos itaque dies, Parisiis reversus sum... (1). »

Hanc sententiam, de Anselmo, ab Abaelardo latam, minime profecto benignam, forte non omnino æquam censebis. Indignationi sine dubio, Petrus nimis indulsit et a judicio quod pronuntiavit, provocatio est.

Quomodo huic adolescenti, cui acre et sagax ingenium, liber et promptus habitus vigerent, senis sermo prudens et mediocri auditorum menti accommodatus placuisset? Tantum abest ut Anselmus aliquid novi discere ausus sit, quin pleraque nisi Scripturæ, Patrumve auctoritate fretus assereret aut seipsum unquam produceret.

Qui cum ita se habuerit, indoli suæ potius quam consilio vel solertiæ paruisse videtur. Hæc satis superque erant ut Abaelardus eum, tantæ laudi imparem æstimaret.

(1) Petr. Abael. *Epist. de calamit. suis;* ap. Migne, Patr. lat., t. 178, pp. 123, 124, 125.

Sed supra modum senex auditori suo displicuit in eo quod juveni, a seipso, ut nuper a Guillelmo, discipulos avertere nitenti vehementer obstitit.

Albericum et Lotulfum, invidia commotos, accendisse Anselmum ut Abaelardum silentio contineret et malis artibus usos esse non infitiamur. Attamen cum episcopali scholæ præesset et onus regendi eam sustineret nec ab officio alienum esset curare ut lectiones orthodoxæ fierent, quo pacto, licentiam docendi de obscurissimis Scripturæ locis, in ipsa scholarum æde, juveni discipulo Anselmus dedisset?

Ceterum hanc licentiam Abaelardus petere omisit. Quod si eum non alio modo, erga Guillelmum Campellensem, Parisiis egisse memineris, ingratum Anselmo ipsum fuisse non miraberis. Crimen hæresis sibi inferri (1) Scholasticus Laudunensis timebat. Petrus porro præceps et incautus in lectiones, ut ipse testatur, irruebat.

Quid ergo opus est effingere Anselmum ut invidiosum erga discipulum, quasi metueret æmulum, cum, uno forsan studio servandi sibi scholæ gubernaculum, Abaelardo lectione interdixerit? Jure

(1) De hæreticis Clementio et Ebrardo qui « apud Buciacum proximam Suessioni villam commanebant », lege Guiberti de Novig., in libro tertio de Vita sua, caput XVIII ; ap. Guib. opera, p. 519.

canonico obligatus (1), discipulorum saluti consulebat. Munere magistri functus, potius quam æmulatione impulsus, discipulum, ex improviso magistrum factum, exagitavit. Quod notæ congruit Anselmi personæ.

Ad summam, inter Abaelardum adhuc adolescentem, avidum laude, novis rebus indulgentem et Anselmum jam senem, consuetudini obsequentem, infensum novis rebus quas simul fidei contrarias ac suis propriis moribus adversas esse putabat, animorum disjunctio et, ut ita dicum, repugnantia patebat.

Ad cœnobialem vitam Anselmi animus inclinabat et clades quibus, Gualdrico episcopo primum movente, deinde commoto, ipse interfuit, a dignitatibus eum averterunt. Non fuisset mirandum si, Guillelmi Campellensis instar, ultimos annos in claustro degisset ! Discipulos a monachali professione nunquam deterruit. Qua de re, documento tibi sint laudes quas Guibertus de Novigento Anselmo

(1) Cf. canonem 24 quarti concilii Toletani quem suprà (p. 54, n. 2) retulimus.

De quo sic Chrodegangus : « His ita præmissis, oportet ut probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater vero cui hæc cura committitur, si eorum curam parvi penderit, et aliud quam oportet docuerit aut his aliquam cujuslibet læsionis maculam ingesserit, severissime correptus, ab officio moveatur et fratri alii hi committantur, qui eos et innocentis vitæ exemplis informet et ad bonum opus peragendum excitet. » (*Chrodegangi lib. de reg. Canonic.*, c. 48 ; ap. Acherii Spicilegium, t. I.)

tribuerit, cum ille abbas cuivis monachorum adversario ipse sit inimicus; instituta a Bartholomæo episcopo, auctore Anselmo electo, in dœcesi Laudunensi permulta monasteria, præsertim cum Bartholomæus ipse in abbatia Fusniacensi vitam absolverit; opinio denique qua Scholastico placet, in « Sententiis suis », monachos jure « transire de uno monasterio in aliud districtius (1) ».

Radulfus fratris vestigia secutus, septem discipulos Norberto, cum ille Præmonstratense cœnobium conderet, circa annum 1119, instigante forsan Bartholomæo episcopo, tradidit (2).

Famam qua, Anselmo regente, schola Laudunensis floruerat, per paucos annos, usque ad mortem Radulfi, salva permansit.

(1) « Qui de uno monasterio transit ad aliud districtius non frangit votum, sed abundanter implet. » Dat tamen idem magister consilium transire volenti ut petat licentiam a prælato suo verba consilii sunt ista : « Pete licentiam a prælato tuo qui, si dare noluerit, scias eum caritatem non habere et tu, vade cum licentia Dei. » (Anselmi sentent. laudat. in Dialogo duorum monachorum, auctore quodam Cisterciensi, apud D. Martenne, *Thesaur. nov. anecdot.*, t. V, p. 1594.)

(2) « Vir Dei (scil. Norbertus) Laudunum veniens, scholam magistri Radulphi qui germano suo magistro Anselmi defuncto successerat, ingreditur et scholaribus ejus sermonem exhortatorium faciens, protinus septem ex eis ditissimos, qui nuper de Lotharingia venerant, convertit et cum magna pecunia ad Ecclesiam suam duxit. » (Hermanni, *De Mirac, S. Mariæ*, III, 4 ; ap. Guibert. op., p. 545, C. 2.)

Nomina quatuor inter hos discipulos nobis sunt tradita scilicet Gerardi abbatis Sancti Nicolai de Clarofonte, Adami qui fuit abbas in diœcesi Ambianensi, beati Richardi qui abbatis titulo est quoque donatus, denique Galterii qui postea Laudunensis episcopus est electus. (*Hist. litt. de la France*, t. X, p. 191.)

Omnes scriptores qui, in Chronicis, Anselmum defunctum esse narrant, eum summis laudibus efferunt (1). Papa Eugenius declarat « Deum eum suscitasse ne Scriptura periret (2) ». Alius papa, Urbanus II, teste Bulæo, Anselmum suasorem in consiliis capiendis habuit (3).

(1) « Anno Henrici imperatoris XI et Ludovici regis IX, obiit magister Anselmus Lauduni qui, scientia clarus, glossas marginales et interlineares super Psalterium compilatas abbreviarit. » (*Ex Chronico Turonensi, ap. Rerum francic. script.*, t. XII, p. 469, C.)

« Anno MCXVII Anselmus, Laudunicæ civitatis magister nominatissimus, litterarum scientia clarus, vir morum honestate et consilii maturitate venerabilis obiit qui, utili studio, inter cætera opera, glossas marginales et interlineares ordinavit. » (*Ap. Rer. gall. et franc. script.*, t. XIII, p. 327, B; ex Append. ad Sigebert.)

« Laude prosequitur Anselmum canonicus (scil. anonymus Laudunensis) ejus designans obitus annum 1117 : *magister Anselmus nominatissimus, Laudunensis Decanus, in litteratura, suis temporibus, nulli secundus, morum honestate et consilii maturitate venerabilis obiit. Hic, utili stilo et solerti industria, inter cætera opera sua, etiam glossas marginales et interlineares in Psalterio de authenticis expositionibus, elimata brevitate, ordinavit.* » (*Not. et observ. ad Guib.;* ap. Guib. op., édit. Acher., p. 642, C. et D. 1.)

« Anselmus Laudunensis, Doctor Doctorum præclarus habetur : qui non sibi soli laboravit, sed in vita sua multos erudiens, post mortem posteros beatos fecit quos scriptis suis ditavit. » (Ex *Sigisberti Gemblacensis monachi Chronographia, ap. Rer., gall. et franc. script.*, t. XIII, p. 262, 263.)

« Splendidissima lumina Galliarum, Lauduni gloriam, fratres theologos, Ansellum et Radulfum (aliquis offuscare nititur), quorum memoria in jucunditate et benedictione est, quos nemo laceravit impune et qui solis displicuerunt hæreticis aut flagitiorum turpidine involutis. » (Joann. Sarisb., *Metalog.*, l. I, c. v; ap. Migne, Patr. lat., t. 199, p. 832, D.)

(2) Eg. Bul.; *Hist. Univ. Paris*, t. I, in Catal. illust. academ., sub nomine Anselmi, ad calcem voluminis.

Ibidem, Joannes Sarisberiensis dicitur vocasse Anselmum Doctorum Doctorem, in epistol. 202 ad M. Richardum.

(3) « Urbanus II, pontifex, sedit annis 12, mensibus 4, diebus 19 e magistrorum Parisiensium opera et consilio, in multis usus es

Probabilis sane magistri, viri prudentis necnon periti partes, Anselmus Laudunensis sustinuisse videtur. Sed res ipsa et fatum tantas laudes ei comparaverant; rebus itaque mutatis et utroque fratre mortuo, in tenebris, inter alias episcopales scholas, Laudunensis Academia jacuit.

imprimis vero Anselmi Laudunensis, Roberti Parisiensis, etc... » (Eg. Bul.; *Hist. Univ. Paris*, ad annum 1088, t. I, p. 480).

Cum Rabodus Tornacensis episcopus accusaretur, in consilium Anselmus est adhibitus : « Cum judicatum fuisset ut cum duobus episcopis se de simonia (Rabodus) purgaret, magister Anselmus, tunc temporis, Laudunensis scholæ doctor egregius et per totam Franciam pro sua scientia famosissimus, auxilium episcoporum ei consilio suo abstulit, conscius eos secure non posse jurare eum innocentem fore. » (*Ex Herimann Tornac hist. restaur. S. Martini Eccles.*, *ap. Rer. gall. et franc. script.*, t. XIII, p. 402, E.)

CAPUT QUARTUM

DE ANSELMO ADVERSUS RUPERTUM DISPUTANTE

Proprio motu indolis suæ, Anselmus ad disputandum minime impellebatur. Cui sane animi vis non deerat. Nempe per opportunitates, eam manifestam producere nunquam dubitavit, cum præsertim se bona fide obstringi existimaret. Quæ quidem tibi aperta fient si meminisse volueris eum Gualdrici cooptationi solum obstitisse et Abælardo acerrime restitisse. Initium vero certaminis, de difficillimis ac perobscuris quæstionibus, in forum prolati, ab eo oriri homini haud congruebat qui tamen, Ruperto incitante, palam decertare est coactus.

In suis « Enarrationibus in Matthæum », interpretans hæc orationis dominicæ verba « fiat voluntas (1) », duas voluntates quarum una bonum comprobat, altera malum permittit, in Deo inesse Anselmus obiter affirmaverat. Talia cum diceret,

(1) Cf. infra, p. 99.

nec universam, de connexu divinæ voluntatis cum hominis arbitrio, doctrinam illustrare, nec communem de quæstionibus ad malum pertinentibus solutionem expedire aggrediebatur. Istius modi quæstiones nullas apud Anselmum exstitisse, ingenue fatebor. Cum, legens ac docens, verbum verbo exprimendi viam sequeretur, sublimius evehi quam littera sacræ Scripturæ sineret non poterat. Quomodo agenti de uno verborum ambitu latus philosophorum ludus pateret?

Frustra tamen prohibeas quin philosophia munus suum expleat et iidem qui nuper eam exagitaverant aut eam nescire omnino professi erant, ceteros ad meditandum, inscii forsan, adducunt vel difficultates, quas considerare curæ non habebant, inviti proponunt.

Ita de nostro Anselmo res se habuit. Quæ de voluntate Dei scholasticus Laudunensis scripserat, Guillelmus Campellensis, Anselmi quondam discipulus, factus quoque magister, adeptus, ea suos proprios auditores docuerat multaque forte adjungens, totam doctrinam, auctoritate et fama Anselmi fretus, commendaverat. Guillelmi quidam auditor, cujus nomen desideratur, in Siburgense monasterium venit. Ibi cum quodam monacho (qua de natione adhuc incertum est), in cœnobio Sancti Laurentii Leodiensis olim alumno, cum Ruperto illo, Tuitiensi

cognomine dicto, sæpe est collocutus (1). Ruperto Guillelmi et Anselmi sententia indiligenter relata est ab isto discipulo qui, ex eorum doctrina, hanc rationem confecerat « Deum velle malum fieri ». Horum magistrorum prima proposita ad hanc complexionem dialectice pertinere nonnullis videbuntur. Neuter vero auctor erat sententiæ quam supra retulimus et quam omnes tunc hæreticam habuissent.

Verumtamen magistris, crimen opinionis a discipulo enuntiatæ Rupertus detulit et primas refellens, ultimas argumenti propositiones delere conatus est, quas perfectioni divinæ simul contrarias ac inter se oppositas et censuit et ostendere tentavit.

Præter hoc consilium disserendi contra errorem quem fidei Christianæ perniciei esse æstimabat, valebat quoque apud Rupertum cupiditas illa demonstrandi istos nuperrime e scholis nobilibus egressos adolescentes qui monachos despicerent, non jure sibi ipsis doctrinam et artem vindicavisse, sed cœnobitas quoque, in silentibus claustris, dialecticæ rationis esse expertos et clericis aliquando, acumine ingenii et captionibus, præstare. Hæc secum reputans, librum « de Voluntate Dei scripsit (2).

(1) Cf. *Hist. litt. de la France*, t. XI, p. 422 et ssq.
Cf. etiam Ruperti Tuitiensis *de Voluntate Dei*, c. I, ap. Migne, t. 170, p. 437, C.

(2) Cf. Ruperti *de Volunt. Dei*, loc. cit. *De omnipotentia Dei*,

In quo libro doctrinam cui obsistere nititur sic expromit : « Hæc idcirco nunc ad vos dicere incipimus, o magistri temporibus nostris inclyti, Wilhelme Catalaunensis pontifex et Anselme Laudunensis lucifer, quia de vestris scolis hoc se quidam nostrorum accepisse fatetur, ut diceret : *Quia Deus malum fieri vult et quia voluntatis Dei fuit quod Adam prævaricatus est.* Non Scripturarum auctoritatibus, sed vestri nominis magitudine innititur, traditamque a Vobis hujusmodi divisionem, longa contentione, testatur : *voluntas*, inquit, *mali*, *alia approbans, alia permittens* (1) ».

Porro, si uterque magister docuissent Deum voluisse Adamum a bono discessisse, scribere sex et viginti capita libri « de voluntate Dei » Ruperto opus non fuisset ut probaret hanc accusationem, in Deum intentam, fidei minime consentaneam esse. Itaque ægre judicat eam, quam prodidit, reipsa Anselmi et Guillelmi esse sententiam. « Hoc primum, ait, a vobis quæsisse optaremus — si copia vel opportunitas mutuis vocibus colloquendi præberetur — utrum verum esse possit quod vos, artium magistri, tam inertem divisionem fecisse diceminі..... Non ergo credimus dicenti quod vos

prol., ap. Migne, t. 170, p. 455; c. xix, p. 469. — *In regulam Sancti Benedicti*, l. I, p. 480, 481, 482, 483.

(1) Ruperti Tuit. *De Voluntate Dei*, c. i, ap. Migne, t. 170, p. 437, C.

hujusce divisionis auctores fueritis quæ et Deum accusat et artis constantiam non servat (1). »

Rupertus autem peritiæ suæ, in usu dialecticæ artis, conscius, hominum admirationem movere cogitans, adversarium suum ut ineptum convincere adoritur. Ad hanc rem, biceps argumentum seu dilemma, nec non eleganter, sic prodit : « Si voluntas mali genus est et generis hujus divisivæ differentiæ sunt, alia approbans, alia permittens, hæc, quam dicit voluntatem permittentem, bona erit an mala ? Si mala, quomodo approbanti malum opposita ? Si bona, quomodo species voluntatis mali (2) ? »

Post hæc verba mirifica, Rupertus suum esse putat hujus tam inertis divisionis auctores jocis insectari. Sed nobis dicendum est hoc argumentum, quod laudibus Rupertus extollit, ipsum etiam « artis constantiam non servare ». Ut valens fieret necesse esset verba « permittens et approbans » hic, « bona et mala » illic, inter se contraria esse. At Rupertus hæc vocabula inter se repugnare non demonstravit quod sane difficillime fecisset. Tum inane dilemma evadit et in libro « de voluntate Dei », sola capita obscurius scripta, in quibus plurima de Scriptura excerpta congeruntur, legenda tibi relinquuntur.

(1) Ruperti Tuit. loc. cit., p. 437, C. et 438, A.
(2) Ejusdem, ibidem.

Ceterum si hæc argumenta, in Anselmi discipulum cum Ruperto collocutum, valuisse censebis, eadem Laudunensi scholastico minime opponenda fuisse putabis. De quo persuasum habebis cum dicta ab Anselmo, inter « Enarrationes in Matthæum », haud diligenter ad Rupertum relata, sedulo legeris. Qui locus hic est : « Duæ sunt voluntates in Deo : una misericordiæ, quæ non est cogens nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in libera voluntate eorum positum est. Et alia, quæ est de effectibus rerum, de qua dicitur : *Omnia quæcumque voluit fecit;* huic nemo potest resistere, de qua dicitur : *Voluntati ejus quis resistet ?* Hæc providentiæ concordat semper, alia vero non semper.

« Si enim velit, per misericordiam, de aliquo pravo quod sit justus, et conferat ei gratiam suam et tamen ille, per liberum arbitrium, contradicat, nec gratiæ Dei consentiat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ quia, quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen scit non consensurum.

« Quæ autem de affectibus est, alia est permittens, alia approbans, Permittens est quæ efficiat malum quandocumque vult. Approbans autem est quæ faciat bonum quandocumque vult, et utraque est ex justitia.

« Itaque homines resistunt voluntati misericordiæ et non resistunt voluntati justitiæ (1). »

Ab Anselmo duæ quidem voluntates in Deo discernuntur quas autem Rupertus errore deceptus, pro duabus voluntatibus mali falso habebat. Hæ sunt potius, ut dicere possum, voluntas quædam *a priori* et quædam voluntas *a posteriori*, seu « de effectibus ». Una hic « voluntas misericordiæ » appellatur, quæ nihil aliud præter bonum vult et cum perfecta Dei natura congruit, scilicet quæ Deo cum malo repugnanti, convenit.

Altera vero, vel voluntas justitiæ, dat operam omnibus rebus quas in mundo Deus perficit. Porro malum in mundo exsistere quis neget ! Illa secunda voluntate seu voluntate justitiæ, aut etiam Providentia, quædam fiunt quæ Deus a priori nolebat, quibuscum divina misericordia repugnat.

Voluntas igitur quæ eadem ac Providentia est, seu « de effectibus », cum voluntate misericordiæ, parte aliqua, congruit (quod evenit cum fit bonum), huic voluntati *antecedenti*, parte aliqua, invicem opponitur (quod, cum quid mali effectum sit, accidisse fatebimur). Bonum perfectum admittit et quanquam malum improbat, id tamen permittit.

Quod si propius inspicias, non solum duas, sed

(1) *Anselmi Laudunensis Enarrationes in Matthæum*, c. VI, ; ap. Migne, t. 162, p. 1307, B. et C.

tres in Deo inesse voluntates intelliges (1) : una est, quæ nihil aliud quam bonum vult et summam boni vult nec unquam expletur ; alia est, quæ bonum quod efficitur approbat, cum id summæ boni pars quædam sit ; tertia admodum malum permittitur, quanquam improbatur.

Auctoribus Historiæ litterarum apud Francos Anselmus videtur, animo sibi nimis indulgente, a Ruperto vituperationes accepisse (2). Nec infitiamur Anselmi et Guillelmi Campellensis discipulos forsan infensiore animo usos esse in auctorem libelli « de Voluntate Dei ». Qui adolescentes, nimium acerbis dictis, indignati sunt quod, cum nobilibus magistris, ignotus monachus et indoctus contendere ausus esset.

(1) Ab Anselmo Cantuariensi, Anselmi nostri magistro, quatuor voluntatis species distinguuntur his verbis : « Est et alia hujus voluntatis (scil. divinæ) divisio. Alia enim potest dici efficiens, alia approbans, alia concedens, alia permittens. *Efficiens* voluntas in Deo facit quidquid vult, efficiens in homine quod potest homo et vult ipso actu. *Approbans* est quæ approbat aliquid, et hæc ad hominem pertinet et ad Deum. Approbans in Deo est quæ vult omnes salvos fieri : quoniam nullum prohibet, quantum ad se, salvum fieri : imo, si quis ad hoc laborat, approbat. Patens est quidem quæ sit approbans in homine. *Concedens* est quæ concedit ut fiat aliquid. Concedente autem voluntate, vult Deus ut homo, qui melius non proposuit, uxorem ducat. *Permittens* voluntas est quæ permittit aliquid fieri, etsi displiceat quandoque. Et hoc modo dicitur Deus velle mala quæ permittit fieri. Unde dicitur : Quem vult indurat et cui vult miseretur. » (Anselmi Cantuariensis. *De Voluntate Dei*. Opera, éd Gerberon, t. I, p. 152.)

(2) *Hist. litt. de la France*, t. XI, p. 42. « Anselme, quelque piété qu'il eût, fut piqué au vif contre Rupert, à cause du traité *de la volonté de Dieu* et écrivit à Héribrand pour s'en plaindre... »

Inter regulares et clericos dissensio nuper orta jurgium quoque auxit (1) et Ruperti de hac re querelas, quamvis specie immoderatas, haud injuria prolatas habemus (2).

Attamen credimus Anselmum quoque jure egisse, restituendo suam doctrinam in primo Ruperti opusculo corruptam.

Propterea, ad Heribrandum Sancti Laurentii Leodiensis litteras misit. Rupertus qui, ab anno 1113 quo Berengarius obierat, Leodiensi cœnobio relicto, in Siburgensi monasterio commorabatur (3), ad pristinam domum arcessitus reversusque, coram Heribrando et Ecclesiæ Leodiensis decano quibusdamque aliis, rationes reddidit mentemque omnium præsentium sibit conciliavit (4).

Anselmus, ut suæ testantur litteræ (5) specie moderatissimæ, in hac disputatione nihil nisi verborum contentionem prospexerat. Sententiæ qui-

(1) Cf. *Ruperti Tuit.*, *Altercat. monachi et clerici.*

Cf. Ejusdem Epistolam, qua ratione monachorum ordo præcellit ordinem clericorum, ad Liezelinum canonicum; ap. Migne, t. 170, p. 663 et ssq.

(2) *Ruperti de Omnipot. Dei*, prol., ap. Migne, t. 170, p. 455; c. 22, p. 472, B; c. 23, p. 473.

Ejusdem, *in Regul. S. Benedicti*, l. I, p. 480, 481, præsertim 482, B.

(3) *Hist. litt. de la France*, t. XI, p. 423.

(4) *Ruperti de Omnipot. Dei*, prol., ap. Migne, t. 170, p. 455.

(5) Hæc epistola legitur ap. Notas et observ. ad Guibert. de Novig. auctore Acherio : *Guib. de Nov. opera*, p. 642 et ssq. Legitur etiam ap. Migne, t. 162, p. 1587 et ssq.

bus Rupertus obsistebat et argumenta quæ contra affeberat, magistro Laudunensi vana et inania videbantur.

Sat est scholastico nostro affirmare nihil fieri « Deo invito, coacto, nolente » et insuper, malum libero arbitrio humano, non Deo tribuendum esse, ut in animo habeat se omnes difficultates diremisse.

In « Enarrationibus in Matthæum », invocato libero arbitrio, consilium quo homo gratiæ divinæ assentitur, ut meritum vindicaverat. « In Paulo videtur cogens voluntas Dei, sed non est, quia licet sit percussus, tamen voluntas erat libera ut resisteret, si vellet (1). »

In epistola ad Heribrandum missa, præsertim conatur demonstrare hominem, si quis malum operetur, crimini esse subjectum, Deum vero esse insontem et mali expertem. « Vult (sc. Deus), per misericordiam, consentientem adjuvare, vult etiam, per justitiam, renuentem relinquere. Quod relinquere dicitur in Scripturis, in reprobum sensum tradere, indurare, præcipitare, non enim Deus auctor est et intentor mali; sed dum juste, ut diximus, relinquit, rationalis creatura in reprobum sensum traditur, induratur, præcipitatur (2). »

(1) Anselmi Laudun. *Enarrat. in Matth.*, ap. Migne, t. 162, p. 1307, C.

(2) Ejusdem *Epist. ad Herib. missa*, ap. Migne, t. 162, p. 1587, C. ap. Guib. opera, p. 642, D et E, 2.

Hæc prorsus, auctore divo Augustino, enuntiat. Sed dum Augustinus, contra Pelagium, hominis liberum arbitrium circumscribere aggressus est, contra Manetem, ejusdem liberi arbitrii partes suscepisse videtur. Si saltem, in hac disserendi ratione, quædam sit contrarietatis species, nec Anselmus nec Rupertus hanc perspexerunt. Ambo de hoc Patre locos excerpunt quos ægre concilies et ejusdem nominis auctoritate freti, argumenta contraria afferunt.

Siburgensis monachus nil magis cordi habebat quam doctoribus, in argumentis callide vinciendis præstare et, arte dialectica utens, ostendere, relictis opinionibus quas irritus confutaverat, doctrinam quam re vera profitebantur, haud validius insectationibus suis resistere. Verborum vi ipsa impulsus, dilemmate gaudens quod iis quibus duæ voluntates mali in Deo inesse videbantur, nuper opposuerat, mox eodem argumento, si ita loqui licet, armatus in Anselmum rursus impetum facit (1). Quinimo invitus forte vel potius inscius, universam de malo quæstionem, ita fidenti animo, proponit ut, Historiæ litterarum apud Francos auctores, non sine metu, librum « de Omnipotentia Dei » legerint (2).

(1) *Ruperti. de Omnipot. Dei*, cap. 23, ap. Migne, t. 170, p. 473 et 474.

(2) *Hist. litt. de la France*, t. XI, pp. 562, 563. Il y a cependant, dans cet écrit, quelques endroits qui paraissent moins

Verbosas explicationes quibus Rupertus sæpe implicatur, innumeras vel Scripturarum vel Patrum sententias per quas, quodam modo, vagatur, si attente consideravis, vix credes eum intellexisse vim difficultatum de quibus tractare cœperat. Sed quæstionem interdum fulgenti lumine illustrat et mirari licet quod nodum, ratione a Leibnizii doctrinis non longe remota, expedire si voluisset sane potuisset. Verborum imperio parenti sic disputatio tota evasisset.

In secundo capite libri « de Omnipotentia Dei », quid sibi voluerit, cum hoc opusculum scriberet, Rupertus declaravit : « Amplius atque amplius ad Scripturarum et omnimodæ rationis patrocinium recurrere compellimur, quatenus omnipotentem esse prædicantes Deum, nihilominus tamen absque voluntate ejus comprobemus evenire vel evenisse malum sive peccatum... Consequenter nunc res postulare videtur quod sit malum, vel quod fuerit malæ voluntatis initium, id est *unde bonæ creaturæ velle malum acciderit* (1). »

Ad hæc Augustinus, a Ruperto laudatus, sic respondet : « malæ voluntatis causa si quæratur,

exacts. Mais il faut les expliquer par ceux où l'auteur parle conformément aux principes qu'il avait puisés dans l'Ecriture et les Pères.

(1) *Ruperti*, *de Omnipot. Dei*, c. II, ap. Migne, t. 170, p. 456.

nihil invenitur (1). » Idem alibi expressius dicit « voluntatem malam non ex eo esse incipere quod natura est, sed ex eo quod de nihilo facta natura est (2)). »

Dicere porro creaturam de nihilo esse factam non idem est ac si neges eam esse quidquam, præsertim cum, eo ipso quod est, creaturam essentia quadam præditam esse fatendum est. Quod si creatura malum operatur, utpote creata, scilicet utpote facta est et utpote est, en iterum mali effecti crimen Deo inferendum! Qui enim sumus nisi id quod Deus, nos creando, fecit ?

Hic videtur Rupertus longius quam ipse Augustinus prospexisse et res in magnam difficultatem incurrere sensit :

« Si forte, inquit, de ipsis iræ vel contumeliæ vasis objicitur nobis quia vult Deus illa fierit, ut cum negare non potuerimus homines quoque qui ad salutem non pertinent, Deo volente, nasci, consequenter inferri possit : vult ergo Deus malum fieri (3).... »

Quamvis Rupertus Augustinum sequi videri velit, his verbis tamen hæret quæ apud Augustinum leguntur : « Non fit *præter* voluntatem Dei

(1) August (*de Civit. Dei*, l. XII, cap. VI) a Ruperto prolat, ap. Migne, p. 457, A.
(2) Ejusdem, ibidem prolat, p. 457, B.
(3) Ruperti *De Omnipot. Dei*, c. XVIII, ap. Migne, t. 170, p. 468, C.

quod etiam *contra* voluntatem ejus fit, quia non fieret si non sineret. Nec utique *nolens sinit*, sed volens (1). » Quæ quidem cum Anselmi doctrina non discrepant.

Frustra Rupertus deinde verba *sinit* et *vult* callide discernit (2). Dicendo de Deo, « nec utique nolens sinit, sed volens », Augustinus plane affirmat Deum velle quod permittit, id est quod sinit.

At monachus seorsum seposuit argumentum simile dilemmatis quo tam gloriabatur in suo « de voluntate Dei » libro. Jam tum profecto eum non fugit mali voluntatem non esse, apud Anselmum, quoddam genus cujus voluntas comprobans et voluntas permittens species fuissent. Magni momenti hanc emendationem esse quanquam non prædicat, jamjam voluntatem mali, ut speciem quamdam voluntatis *a posteriori* seu « de effectibus », nobis afferre constituit ; sed nihilominus adversarium premere confidit.

« Esto ut, sicut dicunt voluntas mali (3), sive velle malum, aliud approbans, ita dicant et aliud improbans, quoniam hæc contraria sunt, et medietatis loco dicant, aliud permittens ; nonne sicut,

(1) Augustini a Ruperto laudati hæc leguntur in lib. *de Omnipot. Dei*, c. xx, ap. Migne, p. 470, A.
(2) Ruperti, *de Omnipot. Dei*, c. xxi, ap. Migne, p. 470 et 471.
(3) Ejusdem, ibid., c. xxiii, ap. Migne, p. 473, D et 474, A.

exempli gratia, de numero pariter pari (1) et ejus contrario pariter impari, horumque medio impariter pari, par numerus æque prædicatur, ita velle malum, sive voluntas mali, de approbante et ejus contrario improbante, horumque medio permittente, secundum ipsos prædicabitur? Sed et quid repugnantius quam voluntati improbatio? Nonne sicut, verbi gratia, inimicitiæ pax, amicitiæ autem bellum, sic voluntati improbatio repugnat?

« Constat autem, et non solum omnis divinæ Scripturæ testatur auctoritas, sed et ipsa creaturæ rationalis sponte consentit natura, quia Deus malum odit et improbat. *Quomodo ergo improbatio, voluntatis erit species sive differentia?* Quomodo, inquam, Deus malum et vult et improbat? Repu-

(1) De numero pariter pari, de ejus contrario pariter im pari horumque medio impariter pari, sic Boetius disserit in suo de arithmetica opusculo (Boetii, de arithmetica, l. I, ap. Migne, t. 63).

« *Pariter par* numerus est qui potest in duo paria dividi, ejusque pars in alia duo paria, partisque pars in alia duo paria, ut hoc totiens fiat usque dum divisio partium ad indivisibilem naturaliter perveniat unitatem (c. IX, p. 1085). » Exempli gratia profertur numerus 64.

« *Pariter* autem *impar* numerus est qui et ipse quidem paritatis naturam substantiamque sortitus est, sed in contraria divisione, naturæ numeri pariter paris opponitur (c. X, p. 1087). » Exempli gratia proferuntur numeri 6, 10, 14, 18, 22.

« *Impariter par* numerus est ex utrisque confectus et medietatis loco gemina extremitate concluditur ut, qua ab utroque discrepet, eadem ad alterutrum cognatione jungatur. Hic autem talis est qui dividitur in æquas partes, cujusque pars in alias dividi potest, et etiam aliquando partes partium dividuntur, sed non ut usque ad unitatem progrediatur æquabilis illa distinctio, ut sunt 24 et 28 (c. X, p. 1089) ».

gnantia enim circa idem esse non possunt. Itaque dum mediata poscunt, videte quanto amplius ad inconvenientia decurrunt. »

Per ultima hujus loci verba, Rupertus a controversia de speciebus voluntatis mali discedit et quas in difficultatis incurras, si Deum omnipotentem mente concipere coneris, tibi notum facit. Si nihil efficitur « Deo invito, nolente, coacto », Deus vult malum. At contra, Deus improbat malum. Sic eadem voluntas simul vult ac non vult. « Deus malum et vult et improbat ». Hæc inter se repugnant, neque ejusdem generis species esse possunt; cum enim ambæ voluntates inter se sint contrariæ, præterea una quæ improbat non vult et ideo, proprio suo generi opponitur.

Quamvis, si consideraveris quæ supra dicta sint, tota hæc disputatio, una quadam verborum junctura facile tolli videatur, Rupertus non solum, quomodo nodus expediri possit haud animadvertit, sed etiam, quod in discrimen omnipotentiam Dei adduxerit non intelligit. Adversario victo delectatur, nec tamen, ut crimine mali effecti voluntatem divinam absolvat, argumentis ipse parcit quæ apud Anselmum reprehenderat.

« Malum, inquit, nullo modo Deus vult fieri, aliquo autem modo, ad tempus, fieri permittit, aliquo autem modo, non permittit. Non permittit quia pro-

hibet, permittit quia liberum arbitrium dedit (1) ». Divus Augustinus et Anselmus noster eadem dicere potuissent.

Quin etiam! eis a Ruperto opportune petere licebat *quomodo, si voluntas genus est, duas species habere possit quarum una est permittens, altera vero non permittens.* « Quomodo ergo improbatio, voluntatis erit species sive differentia? (2) »

Nec plura! In Rupertum argumenta quibus armatus in Anselmum impetum fecerat retorquere desistamus! Nonne mirum est quin verba, quibus callide usus quæstionem solvisset, in suopte libro « de Omnipotentia Dei » cum laterent, invenire non potuerit? Hæc enim, in quarto capite opusculi, leguntur : « In nihilum tendimus, licet jam non nihil esse queamus. Sic enim eleganter de hujusmodi quidam ait :

« *Inque nihil tendunt, nec nihil esse queunt.* » Nam perpetuat quidem creaturæ substantiam Omnipotentis imperium de quo scriptum est, quia *ipse dixit et facta sunt* (Psal. XXXII), sed deterius creatura in nihilum tendit vel redit, eundo nimis longe a Verbo per quod facta est; maxime autem scienter stando contra veritatis verbum et loquendo

(1) Ruperti, *de Omnipot Dei*, c. xxiv; ap. Migne, p. 474, D.
(2) Ejusdem, op. citat., c. xxiii, p. 474, A.

mendacium. Loquendo enim quod non est, ipsa nihil fit et nihil est (1). »

Quomodo eum fugit repugnantiam, de qua supra diximus, inter voluntatem quæ vult malum et voluntatem quæ malum improbat, penitus tolli simul ac malum et nihilum, unum et idem esse censuerimus?

Cum malum non esse dixeris, neque voluntatem qua comprobetur, neque voluntatem qua improbetur, nec denique voluntatem qua permittatur, ad id spectare dialectice constabit. Velle malum id est nihil velle, id est non velle : jamque tibi non est voluntas mali.

Si quis hanc explanationem esse fallacem forte existimet, eam in modum joci a me proponi non infitiabor. Sed Rupertum decebat argutiis potius quam ratione uti qui cum, captiosis verbis componendis, ut vidimus, gauderet, nullam prorsus explicationem, dum ea « artis constantiam servaret », respuisset. Nihil aliud nisi verba apte composita Rupertus tum dedisset; sed iisdem aut fere verbis, inclytus quidam philosophorum Leibnizius graves cogitationes exprompsit.

Ceterum, Rupertus diligenter cavet ne Colitianis ipse annumeretur et inter duas hæreses contrarias certum et quasi examinatum modum tenere niti-

(1) Ejusdem, op. cit., c. IV, p. 457.

tur. « Scis, inquit, ut arbitror, hæreses fuisse duas sibi contrarias, Colitianam atque Florianam. Nam Colitiani, a quodam Colito nominati, dixerunt Deum nullum omnino facere malum, contra illud quod scriptum est : « *Ego Dominus faciens pacem et creans malum* (Isa. XLV); ubi subintelligendum est non malum quod est virtuti contrarium, sed malum afflictionis quod oportet fieri interdum, propter castigationem malorum id est peccatorum, verbi gratia, famem, gladium, pestilentiam et malas bestias, quæ ipse Dominus, apud Ezechielem, quatuor judicia sua pessima nuncupat.

« Floriani, a Florino nominati, e contrario dixerunt Deum creasse mala et ipsa quæ virtuti sunt contraria, nimirum contra id quod scriptum est : *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (Gen. I) (1). »

Quanquam in discipulos, falsos doctrinæ nuntios, non in Anselmum, librum « de Omnipotentia Dei » se scripsisse asserit (2), tamen inter Florianos hæreticos, magistrum Laudunensem et epis-

(1) Ejusdem, in regul. S. Bened., l. I; ap. Migne, p. 481, C et D.

(2) « Conveniebat de his tractare...... Quasi magnam bellicæ navis arborem cum superposito quasi victoriæ signo exiguo rudentibus trahi videbamus, et eos a quibus trahebatur, non videbamus, cùm ecce certis accepimus nuntiis revera esse quosdam facundiæ Franciæ magistros, qui hoc agerent et ex præscripto beati Augustini loco vim totam præsumerent.

« Non tamen ille, cujus fides et scientia præ cæteris, bono

copum Catalaunensem numerat (1). Nec satis est ei, in scriptis, adversarios longe prosequi, rem prælio tandem committere constituit et manus conserere molitur (2). Anselmo, Lauduni, Guillelmo, Catalauni, quantum in errorem uterque inductus est, dialectica contentione et Scripturarum auctoritate, plane demonstrare confidit. Sed dicendi gratiam, de illo itinere, Ruperto ipsi faciamus.

« Ivi, inquit, in Franciam et, ut potissimum, contra magistros illos prælium disputationis com-

cum odore, in Christi Ecclesia fructificat, Laudunensis Anselmus, sua illos, ut veraciter comperimus, auctoritate corroborat. Custodiat in perpetuum lux veritatis providam præclari viri scientiam, ne temere quod dicendo in hujusmodi, ullam suæ gloriæ inferat maculam, et si quando superiori libello respondere dignabitur, ut se facturum promisit, candida veniat nobis columba secus fluenta plenissima, juxta aquas Scripturarum incontaminatas. Noverit tandem reverentia vestra, o viri prudentes, quia locum illum cum tali sensu qualem tradunt, legere vel suscipere sic abhorremus, quomodo aquam, licet de fonte puro et limpido allatam, post balnearum sordes, potare non patimur. Ubi enim tanti tamque ecclesiastici doctoris sermo bonus humano sensui et nitori gloriæ populari servire compellitur, tanquam dedita balneis aqua puri fontis hominum sordibus inquinatur (Ruperti, *de Omnipot. Dei*, c. XXVI ; ap. Migne, t. 170, p. 476, A et B.)

(1) « Magistri magni ac præceptores nominati, præclara totius Franciæ lumina, quorum ad auditum, de cunctis fere provinciis, examina discipulorum festinabant, sententiam illam, de voluntate Dei (scil. Florianam), emisisse atque constanter defendere ferebantur...... Ivi in Franciam, ut potissimum *contra* magistros illos prælium disputationis committerem...... » Ruperti, *in reg. Div. Bened.*, l. I, ap. Migne, p. 482, A et C.)

(2) Jampridem Anselmo et Guillelmo occurrere in votis erat ut testantur hæc : « Hi qui Deum velle malum astruunt, a magnis et nominatis, quos adire vel audire non possumus, magistris sese hoc accepisse (confirmant). » (Ruperti. *De Omnip. Dei*, c. XX, p. 470, A.)

Cf. etiam supra, p. 97.

mitterem quorum tanta supra me et contra me auctoritas erat ut, quoties illius temporis recordor, simul etiam recordari debeam dicti illius verissimi quod Sapientia dixit : *Dives locutus est et omnes tacuerunt et verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est et dicunt « quis est hic ? »*.

« Nam alter eorum, magister simul ac episcopus, alter quovis episcopo famosior, quamvis ipse non esset episcopus.

« Mirum mihimet nunc est illud recordationis meæ spectaculum, quomodo solus ego, vili asello residens, juvenculus, uno tantum puero comitatus, ad exteras tam longe civitates, ad conflictus contra tales profectus sum, quibus adesse et os et ingenium et magnam tam officii quam magisterii dignitatem noveram, nec defuturum (quod et factum est) ut magistrorum pariter ac discipulorum cœtus quasi non parvus conveniret exercitus, ad me audiendum, ad me convincendum.

« Illud autem magis mirum videtur quod, me ingrediente civitatem, jam dictorum alter et præcipuus magistrorum, ultimum trahens spiritum, statim post ingressum meum vitam finivit ; alter cum quo acerbum habui conflictum, nescio an integrum annum supervixerit (1) ».

(1) Ruperti. *In regul. Div. Bened.*, l. I, ap. Migne, p. 482 et 483.

CAPUT QUINTUM

DE ANSELMI ET RADULFI FRATRIS EJUS OPERIBUS

I. De glossa interlineari. — Inter opera quæ Anselmo tribuuntur, magni momenti est « Glossa interlinearis in universum Testamentum ». Qua ratione conscripta sit, in secundo hujusce libri capite, jam diximus (1). Scripturarum textus proditur et inter lineas legere est breves animadversiones, quibus plerumque vim vocabulorum aperte intelligas. Interdum ordo et connexio verborum illustrantur et sermo fit lucidior. Ex his, ut magistrum, nec juvenilium animorum ignarum, auctorem Glossæ cognoscere licet; quinimo, de lectionibus quas audierant discipuli, materiam hujus operis fortasse sumpsit. Hic « multa, *ait Possevin*, breviter et quasi punctim, sed docte et accurate attingit (2) ».

Nonnulli sunt qui Glossæ interlinearis alios ac An-

(1) Cf. supra, p. 61.

(2) Possevini. *Apparatus sacer.*, t. I, p. 86. (Coloniæ, 2 vol., fol. 1608.) — *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 183.

selmum et Radulfum, auctores fuisse asserunt et eam a Gisleberto diacono Autissiodorensi conditam esse dicunt (1). At Gislebertus ille ad quem hoc opus, si quibusdam veteribus scriptoribus credas, pertineret, non fuit Diaconus Autissiodorensis Ecclesiæ, sed idem est ac Gislebertus Porretanus qui discipulis Anselmi Laudunensis est annumeratus (2).

Cum vero, ad calcem cujusdam Codicis Oxoniensis Glossam in Psalmos continentis, hæc manu scripta sint : « *Explicit glossatura magistri Porretani super Psalterium quam ipse recitavit coram suo magistro Anselmo* (3) », scholastico Laudunensi, ad conficiendum librum fere immensum, operam navasse Porretanus videtur.

Quomodo Anselmus, animo semper intentus ad docendum et ad mores juvenum informandos, nec externis negotiis, nec curis unquam vacuus, quamvis multos annos vixerit, interpetationes in totam Bibliam edere potuisset?

Constat Radulfum ei opem tulisse, sive de quibusdam quæstionibus, antequam libri scripti exirent, Anselmo colloqueretur, sive quosdam libros componendos Radulfus sortitus sit, seu denique,

(1) Le Beuf. *Dissert. sur l'hist. de Paris*, t. II, p. 140.

(2) Vide supra, c. III, p. 78.

(3) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 181.

imperfecto operi, Anselmo defuncto, frater superstes summam manum imponere statuerit. Etenim, in multis Glossæ exemplaribus magistri, Radulfi nomen profertur (1).

Scribendi vero, inter lineas, breves notas quibus sacræ Scripturæ enucleentur, rationem tum primum, procul dubio, Anselmus invenit (2). Glossæ etiam ordinariæ, a Valafrido Strabone de diversis auctoribus collectæ et in marginibus Testamenti dispositæ non nihil addidere (haud aspernendum opus) ambo Laudunenses magistri.

Has Glossas innumeri Codices, nisi falluntur auctores Historiæ litterarum apud Francos, sæculo XVIII, adhuc prodebant (3).

Interlinearis Anselmi explanationis, quidam libri manuscripti, in Bibliotheca Gratianopolitana, hodie servantur quorum indiciis auctor demonstratur (4). Tolosani magnam Glossæ interlinearis

(1) Vide *Codic. Biblioth. Tricassinorum*, n. 227; *Codic. Biblioth. Autissiodorensis*, n. 10, etc.

(2) Cf. supra, pp. 60, 61.

(3) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 182.

(4) In bibliotheca Gratianopolitana, Glossa interlinearis Anselmi Laudunensis in Tobiam, in Judith, in Esther proditur a Codice, n. 30; in Exodum, a Codice n. 34; in Leviticum et in Numeros a Cod. n. 35; in Deuteronomium a Cod. n. 36; in Marcum a cod. n. 38; in Lucam a cod. 39; in Johannem a cod. 40; iterum in Joannem a Cod. n. 41; in Psalterium a Codice n. 80. Cum Glossæ interlilinearis in Matthæum, quæ legitur in codice n. 37, auctorem præterierint, Anselmo tamen eam tribuendam esse censemus.

Supradicti Codices duodecimo aut tertio decimo sæculo sunt exarati.

partem exhibent tres Codices (1) ; Cenomanorum in urbe invenies « Glossam in Canticis Canticorum et in Apocalipsi, secundum lectionem magistri Anselmi Laudunensis (2). » Glossas super eosdem libros, Cantica Canticorum, Apocalipsin, secundum eamdem lectionem, Tricasses in sua Bibliotheca recondunt (3). Ibidem eamdem lectionem super Apocalipsin et super Cantica Canticorum magistro Radulfo deditam invenies ; nec deest manuscripto Tricassino Glossa super Nahum prophetam (4).

Parisiis Glossæ in Apocalipsin (5) et in Evangelia Matthei (6), Lauduni Glossæ in Paulum (7), Anselmo auctore, reperiuntur.

Anselmi Glossa interlinearis, cum Glossa ordinaria, Basileæ edita est annis 1502 et 1508, et diversis in locis, annis 1524, 1528, 1539, 1545, 1588, 1617 (8).

(1) In Codicibus Tolosanis, tertio decimo sæculo scriptis, invenies Glossam interlinearem Anselmi Laudunensis in Genesim et Exodum (Cod. 18), in Leviticum, Numeros, Deuteronomium (Cod 19), in Josue, Judices, Esdram, Tobiam, Judith, Esther, Machabæos, Ruth (Cod. 20).

(2) Cod., n. 218.

(3) Cod., n. 1223.

(4) Cod., n. 227.

(5) Bibl. nat. cod. lat. 3589.

(6) Catal. de la Biblioth. Sainte-Geneviève, anno 1893, cod. 215.

(7) Cod., n. 109. a fol. 8, ad fol. 40.

(8) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 180.

Antuerpiæ tandem, anno 1634, Leander a S. Martino, Benedictinus, Glossam interlinearem cum Glossa ordinaria et cum Postillis Nicolai Lirani accurate edidit (1); sed quod ad Anselmum in hac compilatione pertineret, magistro Laudunensi expresse reddidit (2).

II. De Enarrationibus in Cantica Canticorum. — Enarrationum in Cantica Canticorum Anselmus Cantuariensis diu auctor est habitus. Quæ tamen, variis de causis, nobis videntur ab Anselmo Laudunensi esse compositæ.

Exstabant, circa annum 1750, in nonnullis Bibliothecis vicinæ urbi Lauduno regionis, quædam manuscripta quæ testabantur Enarrationes a nostro scholastico fuisse conditas (3). Invenit quidem Sanderus Codicem quemdam in quo hæc legebantur : « *Anselmi Cantuariensis archiepiscopi in Cantica Canticorum expositio mystica et prolixa* (4). » At Eadmerus qui vitam Divi Anselmi scripsit et Catalogum operum archiepiscopi Cantuariensis nobis reliquit,

(1) Biblia sacra cum Glossa ordinaria a Strabo Fuldensi monacho Benedict. collecta, novis PP. Græc. et latin. explicationibus locupletata et Postilla Nicolai Lirani. Omnia recensuit R. P. Doctor Leander a S. Martino Benedictinus et præses generalis Congregationis Anglicæ. in Academia Duacena Hebræ linguæ professor regius. — Antuerpiæ 1634, 6 vol., fol.

(2) Ibid., t. I, in epist. dedicat, p. 3.

(3) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 182.

(4) Sanderi. *Biblioth. belgica*, p. I, p. 46.

nihil de istiusmodi Enarrationibus memoravit (1). Nec Cantuariensi hoc Commentarium dedit Th. Raynaud, cum ejus omnia opera ederet (2). Quem librum S. Fontaine, in volumine Parisiis, anno 1549, edito, Laudunensi Scholastico restituit (3). Sanderus, Crovée, Possevin, Bellarminus, Fabricius ab illa sententia non dissentiunt (4).

Quod si Enarrationum in Cantica Canticorum procemium legeris, magistri coram discipulis disserentis imago tibi ante oculos versabitur (5).

Apud Migne, in Patrologia latina, libri hujus capita octo exhibentur (6).

III. De Enarrationibus in Matthæum. — Hujus Commentarii textum legerunt, in Bibliothecis non longe a Lauduno distantibus, auctores Historiæ litterarum apud Francos (7) et hoc opus Anselmo Laudunensi esse tribuendum intellexerunt. Nec dubium est quin vera senserint, cum Codici Sancti Amandi, titulus imponatur his verbis « Magis-

(1) Eadmeri. *De vita Anselli*, ap. Anselli Divi opera, ed Gerberon.

(2) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 183.

(3) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 184.

(4) *Ibidem.*

(5) Anselmi Laud.; *Enarrat. in Cantic.;* ap. Migne, Patr. lat. t. CLXII, p. 1187.

(6) Op. cit. a p. 1187, ad p. 1128.

(7) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 182.

tri Anselmi glossæ, sive lecturæ, super Matthæum (1) ».

In monasterio Sancti Ebrulfi manuscriptum quoddam in fronte hæc proferebat : « Anselmi Laudunensis philosophi expositio, ex diversis auctoribus exquisitim collecta, super Evangelia Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum. Ibi multa, præcipue ex Anselmo Cantuariensi magistro suo, congessit (2). » Idem hoc manuscriptum nobis esse videtur ac illud quod in cœnobio Sancti Ebrulfi olim servatum, nunc in Bibliotheca urbis Alencii exstat et cui adscribitur : « Expositio de diversis auctoribus, a Domno Ansello Laudunensi phylosopho exquisitissimo collecta, super Evangelium Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum (3). »

Iidem quorum nomina supra retulimus, Sanderus, Crovée, Bellarminus, Possevin, Fabricius, Enarrationes in Matthæum, Anselmi Laudunensis opus esse fatentur (4).

Quæret jam aliquis an ingenio magistri Laudunensis hoc Commentarium consentaneuum sit. Porro si meminisse placuerit disputationis inter

(1) Sanderi. Biblioth. belg., p. II, p. 17.

(2) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 185.

(3) Cod. Biblioth. Alencii, n. 26; a f. 91, ad f. 190, duodecimo sæcul. exarat.

(4) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 184.

Anselmum et Rupertum ortæ, si observaveris doctrinam ipsam, cui Rupertus vehementer obstiterit, in sexto Enarrationum capite, ad verba « fiat voluntas tua », explanari, Anselmum libri hujus auctorem fuisse confirmabitur (1).

In Patrologia latina, Migne capita XXVIII Enarrationum in Matthæum edidit (2).

IV. De Enarrationibus in Apocalipsin. — Cum Codices iidem hoc Commentarium, simul ac Enarrationes in Cantica Canticorum, sæpe prodiderint, iisdem de causis quibus Anselmo Laudunensi alterum librum dedimus, Enarrationes in Apocalipsin magistro nostro tribuamus necesse est (3).

S. Fontaine, in eodem volumine de quo supra diximus (4), « Enarrationes Anselmi Laudunensis in Cantica Canticorum et in Apocalipsin » edidit.

Enarrationum in Apocalipsin capita XXII Migne typis mandavit (5).

V. De Epistola ad Heribrandum missa. — Acherius (d'Achery), inter « Notas et observationes ad opera Guiberti de Novigento », primus litteras ab

(1) Anselmi. *Enarrat in Matth.*; ap. Migne, Patr. lat., t. CLXII, p. 1307. — Cf. supra, c. IV, p. 99.
(2) Op. cit., a p. 1227, ad p. 1500.
(3) Cf. supra, p. 119 et p. 120.
(4) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 184.
(5) Migne. *Patr. lat.*, CLXII, a p. 1499, ad p. 1586.

Anselmo Laudunensi, ad Heribrandum Sancti Laurentii Leodiensis abbatem, missas in lucem produxit (1).

Rupertus narrat seipsum, cum, adversus Anselmum, librum de voluntate Dei scripsisset, ab Heribrando abbate, ad Sancti Laurentii cœnobium, ut crimen in se ab Anselmo illatum dilueret, fuisse revocatum (2).

Cum de quæstionibus inter Anselmum et Rupertum versatis hæc epistola tractet, cumque Anselmi ingenio et doctrinæ consentiat, eam a nostro Scholastico fuisse scriptam asserere non dubitamus, quanquam, in antiquis Codicibus, nomen Anselmi non legitur, sed A solum, loco Anselmi, et H, loco Heribrandi, scripta sunt. Plura manuscripta in quibus hæ litteræ continentur adhuc supersunt (3).

In Patrologia, curante Migne, edita, eam legere potes (4).

VI. De Homiliis in festo. B. Mariæ Virginis. —

(1) Not. et observ. ad calc. oper. Guib. de Nov., édit. Acher., p. 642 et ssq.

(2) Rupert. Tuit.; *de omnipot. Dei*, prolog.; ap. Migne, Patr. lat., t. 170, p. 455.

(3) Cod. biblioth. Ambianensis, n° 10.
Cod. biblioth. Sanctæ Genovefæ, Parisiis, n° 1367, fol. 8.
Cod. Biblioth. « Mazarine » dictæ, Parisiis, n° 563, fol. 209.
Cod. Biblioth. « Nationale » dicta, Parisiis, n° 18108, fol. 112, in quo hæc epistola imperfecta proditur.

(4) Migne *Patr. lat.*, t. 162, p. 1587-1592.

In manuscripto quodam Bibliothecæ Valentinianæ, « Homilia Magistri Anselmi » expeditur quæ, inter sermones Anselmi Cantuariensis nunquam edita, ad Anselmum Laudunensem pertinere videtur (1).

Altera Homilia in festo B. Mariæ Virginis, Anselmo Cantuariensi ab editoribus data (2) tibi legenti Codicem quemdam Parisiensem Anselmi Laudunensis nomen in fronte profert (3).

Duo alii sermones, eidem Scholastico Laudunensi, a scriba qui hoc manuscriptum exaravit, tribuuntur (4).

VII. De Abaco. — Librum de Abaco, a magistro Radulfo fuisse compositum, certis indiciis, comperimus.

Unicus Codex Parisiensis, in quo hic liber legitur, hoc opus Radulfo adjudicandum esse primis verbis testatur sic : « Incipit liber Radulfi Laudunensis de Abaco (5). »

Auctores Historiæ litterarum apud Francos (6),

(1) Cod. Biblioth. Valentiniana, n° 610, fol. 112 verso.

(2) Ap. Migne. *Patr. lat.*, t. 158, p. 645.

(3) Cod. n° 13445, fol. 26 (Bibliothèque nationale).

(4) Cf. eumdem Cod. n° 13445, fol. 27 recto.

(5) Cod. n° 15120 (Bibliothèque nationale), a fol. 1, ad fol. 37 verso.

(6) *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 192.

et eruditissimus vir, Le Beuf (1) ab opinione nostra non discrepant.

Hujus opusculi locum quemdam, de usu figuræ cui sipos nomen est, supra edidimus (2). At liber de Abaco nunquam, usque ad hoc tempus, typis est mandatus.

VIII. De Semitonio. — In codice Parisiensi qui librum « de Abaco » exhibet, proxime sequitur libellus quidam « de Semitonio ». Quanquam Radulfi nomen huic opusculo non inscribitur, simile veri est hunc librum a magistro Laudunensi esse scriptum. Etenim eruditissimus vir, Le Beuf, de ea re sic conjecit (3). Ceterum ab Hermanno monacho novimus clericos Ecclesiæ Laudunensis, summo studio, musicam coluisse et arte sua fretos in Angliam, non sine spe laudis et fructus, ad instaurandam Ecclesiam incensam, transiisse (4).

Liber « de Semitonio » nondum est in lucem editus (5).

(1) Le Beuf. *Dissert. sur l'hist. de Paris*, t. II, p. 91.

(2) Cf. supra, c. II, p. 66, 67, 68.

(3) Le Beuf. op. cit., t. II, p. 115. « Radulfe de Laon, frère du fameux Anselme, n'écrivit pas si au long (que le pape Grégoire) sur la musique : il se contenta de donner un petit ouvrage de Semitonio, où il traite la matière plus du côté de la théorie que de la pratique, ainsi qu'avait fait avant lui Théoger, évêque de Metz. ».

(4) Cf. supra, c. I, p. 42, not. 1.

(5) Proditur in Codice, nº 15120 (Bibliothèque nationale) a fol. 41, ad fol. 46, Parisiis.

IX. De libro cui inscribitur Sententiæ, seu Flores sententiarum magistrorum Anselmi et fratris ejus Radulfi. — Hunc librum, quem in cœnobio Sancti Amandi Sanderus vidit (1), eumdem esse censemus ac ille quem profert codex Tricassinus, inter alia aliorum auctorum similia opera (2). Codici de quo Sanderus scripsit inscribebatur « Flores sententiarum ac quæstionum magistri Anselmi et Radulphi fratris ejus ». Quo in opere de variis quæstionibus præsertim de theologia disputabatur. In Tricassino manuscripto leguntur etiam Guillelmi Campellensis sententiæ quorum major pars, in codice quodam Parisiensi, continetur (3).

(1) Sanderi. Biblioth. belg. part. I, p. 2. — *Hist. litt. de la France.* t. X, p. 185 et 186.

(2) Cod. Biblioth. Tricassinæ n° 425, duodecimo et tertio decimo sæcul. script. « Liber Pancrisis, id est totus aureus quia hic auree continentur sententie, vel quæstiones patrum Augustini, Iheronimi, Ambrosii, Gregorii, Ysidori, Bede et modernorum magistrorum Willelmi Catalaunensis episcopi, Ivonis Carnotensis episcopi, *Anselmi et fratris ejus Radulfi.* » A fol. 95 ad fol. 148.

(3) Cod. lat., n° 18113 (Biblioth. nation.), olim. (222 F. N. Dame), laudat. ap. Cousin; *Œuvres inédites d'Abeilard*, p. 625.

CONCLUSIO

Anselmus solebat, teste Joanne Sarisberiensi, « discipulis dicere in uno se contristari quod, in tota vita sua, nihil sibi accidisset infausti (1) ». At si cives ferro interemptos, populum æstuantem, episcopum perjurum et paulo post cæsum, urbem incendio vastatam, insontes nepotes in carcerem conjectos, variasque rerum ac hominum clades et calamitates animadverteris, mirum tibi sane videbitur quod, in tanta omnium perturbatione, quieto et sereno animo Anselmus perstare valuerit. Ei tamen credimus dicenti se felicitate semper esse usum qui, secundæ fortunæ, potius morum integritate et officii studio quam ingenii dotibus aut præstanti industria, par fuisse nobis videtur.

Informandis adolescentibus adeo addictus ut episcopali ipsi muneri vices magistri potiores

(1) Joan. Sarisb., epist. 202 ad M. Richardum ap. Eg. Bul., *Univ. Paris. Hist.*, sub nomine Anselmi in Catal. illustr. academ., ad calcem volum. I.

duxerit; catholicæ fidei, summa voluntate et otioso, ut ita dicam, animo devotus; sermone divino cœlestia gaudia post mortem pollicito ipse fretus; illis quos penes erat potestas, incolumi gravitate et integro mentis acumine, parens; potentibus ipsis, prudentiæ modestiæque gratia, nunquam suspectus; imo ab iisdem liberaliter tractatus, quo pacto Anselmus vitæ jucunditate intimaque lætitia caruisset?

Sed, quibus de causis, res tam bene ei successerint et tam præclara fama ipse floruerit ut quæramus proximum est. Atqui res ipsas plus quam indolem et artes nostro scholastico, ad scholam Laudunensem implendam, viguisse non celabimus. Quod si causas, de quibus quæritur, propius inspexerimus, animorum habitus morumque commutatio qualia, Anselmo docente, fuerint fortasse patebunt.

In dubium porro versare non est, cum locus Guiberti de Novigento laudatus (1) aliaque haud ambigua signa id testantur, nullam aut prope nullam animorum industriam, medio undecimo sæculo, in Francia exstitisse. Clerici, presbyteri etiam, vix elementa noverant. Una Beccensis schola in tenebris lucet, si ita loqui licet, quæ lumine suo loca late illustrare non suppeditat. Ubi episcopales

(1) Cf. suprà cap. II, p. 57. n. 2.

scholæ ad disciplinas tradendas fuerant institutæ, ibi adolescentes, ad sacros ordines promovendi, cantando cærimoniisque exsequendis tempus conterebant (1).

Tunc vir, in schola Beccensi quondam alummus, Lanfranco quidem et Anselmo Cantuariensi impar, sed horum illustrium magistrorum disciplina eruditus et, quodam modo, imbutus vadit Lutetiam primum, qua in urbe discipulum docet moxque successorem sibi eligit Guillelmum Campellensem, pergit deinde Laudunm ubi considit, nec episcopales scholas emendare, nec docendi novam rationem inire, neque liberalibus artibus theologiæ professionem adjungere dubitat. Cum intelligendam a rudibus ingeniis Scripturæ interpretationem expediret, solerterque Glossam interlinearem componeret, studia apud juventutem obsoleta renovabat.

Quibus disciplinis avidos tum multos fuisse, tibi documento sint innumeri discipuli qui, e cunctis orbis latini regionibus, ad audiendum Anselmum concurrerunt. Commercii gratia quo cum Anselmo Cantuariensi Laudunensis magister semper est conjunctus, nonnulli ex Anglia Laudunum venerunt; eos nihilominus discendi cupiditate stimulatos esse constat.

(1) Cf. suprà cap. II, passim.

Exemplo cœpto, in aliis scholis alii magistri, Anselmum imitati, auditores allexerunt (1). Primo autem tempore, iis schola Laudunensis fama longe præstitit. Magisterium utpote vacans bonum, si ita loqui licet, animo domini Anselmus occupaverat et jure retinebat. At scholastico nostro mortuo, frater ejus Radulfus de auctoritate et fama aliquid jam amisit. Cum, paucos post annos, scholasticus quidam egregius, scilicet Galterius, Radulfi cathedram conscenderit, eum frequenti corona multi discipuli undique convolantes jam non cinxerunt. In alias scholas, alternis vicibus, præcipites ruebant.

Mox vero, non solum cognoscendi cupidine ac discendi studio impulsi, sed etiam eminendi cupiditate et præsertim ecclesiasticorum honorum aviditate concitati scholas petunt.

Extrema jam sunt tempora quibus, inter indoctos et inurbanos militares, episcopi eligebantur. Gualdrici imago si tibi ante oculos versaretur, talem rudem virum videres, sed Gualdrici similes raro postea invenies. Ut iniant viam qua cursus honorum peragretur, laurea scholari cincti progrediuntur.

(1) Inter alias, Remensis, Aurelianensis, Turonensis, Leodiensis, Andegavensis, Carnotensis, Pictavensis, Autissiodorensis, etc., scholæ laudantur. (Eg. Bul.; *Hist. Univ. Paris*, t. I, p. 520.)

Utrum feroces adversus pericula, inter Christi milites conscripti, Hierosolymamque profecti, placidis in agendo impigrisque in studendo laudis curriculum concesserint, an doctrinarum fortuna (cum itinera crebriora fierent cumque, hæc quæ in Francia et illa quæ in Orientis regionibus agebantur conferri cœperint), apud omnes tunc creverit, alii viderint. Quibuscumque de causis orta sunt, ea quæ evenerunt vidimus. Illustrissimi scholastici in sedes episcopales sunt evecti (1) quorum multi egregii discipuli abbates aut etiam episcopi ipsi facti sunt (2).

Febris æstu quasi ferverent, juvenes se impetu magno in studia contulerunt; imo magistrorum gloriæ invidentes nonnulli, antequam didicerint, docuerunt (3).

(1) Guillelmus de Campellis fit Catalaunensis episcopus ; Galo magister in episcopum Parisiensem eligitur (*Hist. litt. de la France*, t. X, p. 94) ; Hildebertus, Cenomanensis scholasticus, sedem Cenomanensem occupat posteaque Turonensis archiepiscopus creatur (op. cit., t. XI, p. 254) ; Marbodus, scholastici vicibus in urbe Andegavorum functus, Redonensi episcopatu donatur (op. cit., t. X, p. 343) ; Gislebertus multos annos docuerat cum Londiniensis præsul est factus (op. cit., t. XI, p. 237) ; Girardus quidam, cum in variis urbibus scholas rexisset et in sedem episcopalem evectus esset, Apostolicæ sedis legatus fuit (op. cit., t. XI, p. 597) ; Galterius qui Radulfo ut scholasticus Lauduni successit, in hac ipsa civitate pontificalem dignitatem adeptus est (Cf. supra c. III), etc.

(2) Cf. supra, c. III, præcipuorum Anselmi discipulorum nomina, p. 60 et ssq.

(3) « Fiebant summi repente philosophi, nam qui illiteratus accesserat fere non morabatur in scholis ulterius quam eo temporis curriculo quo avium pulli plumescunt... Ecce nova fiebant omnia

Renovationis vero primam lucem nondum adspicimus. Excitati mox, Ecclesiæ pontifices curant ne vagantes scholastici modum excedant (1). Paulo post, priore libertate adempta, quisquis ludum aperire volet, ab ecclesia potestate *licentiam docendi* petat opportebit (2).

Anselmus igitur, etsi primus forsan, circa montem Sanctæ Genovefæ, cum laude docuerit, etsi nomen ejus quærenti unde Universitas Parisiensis oriatur primum occurrat, non is qui animos ad liberam veri indagationem impulerit, fuisse nobis videtur. Unus huic immaturo operi tunc vitam impendit. Cui quomodo res successerit nosti. De Petro Abaelardo agitur.

Quo enim pacto tum liberis investigationibus se dederint, cum, nulla auctoritate freti, hanc viam iniissent? Latini scriptores, præter poetas et historicos, vix legebantur. Græci sermonis expertes

innovabatur grammatica, immutabatur dialectica, contemnebatur rhetorica... Solam convenientiam sive rationem loquebantur, argumentum sonabat in ore omnium. » (Joann. Sarisb., Metalog., I, 3 ; ap. Migne, Patr. lat., t. 199, p. 829, C et D.) — « Hinc (scil. ex schola Guillelmi Campellensis), velut ex equo Trojano, paucissimis annis, innumeri Parisiis theologiæ magistri *qui antea nulli erant* exsilierunt. » (Morini, de Pœnit , t. II, p. 777, A, 1.)

(1) Cf. Petri Blesensis epist. 251, apud Thurot ; *de l'organisation de l'enseignement au moyen âge dans l'Université de Paris*, p. 7.

(2) Ut scholastici licentiam docendi impetrarent jussit Concilium Lateranense anno 1179 habitum. (Eg. Bul. *Hist. Univ. Paris.*, t. II, p. 430.)

omnes aut fere necnon ipse Abaelardus erant (1). Notatio atque observatio naturæ contemptæ jacebant. Scripturæ lectio, ultimis undecimi sæculi annis omnino omittebatur.

Illi qui curioso animo ingenue indulsissent, in nullis aliis quam suis propriis viribus innitentes, arrogantiæ crimen, non sine causa, incurrissent. Qua de re, nobis documento sit Abaelardi vita.

Si autem, quod fas et licitum erat exsequerentur, id est Scripturam caute interpretarentur, in ipso limine libertatis, salva spe ingrediendi domum, stare videbantur. Mens humana, cum..... *vires acquirit eundo*, ad asperiores res conficiendas postea valuit.

In disputando instructi, auctoritatem auctoritate repellere, temporis opportunitate utentes, non incallide aggressi sunt. Armis quæ veteres scriptores suppeditabant cincti, instituta recentiora, quanquam a vetustate jam comprobata, sed ægre tandem tolerata invaserunt et evertere conati sunt. At priusquam ingenia sunt emancipata quatuor sæcula interfuere. Satis est Anselmum longe, multis interpositis, invitum, iis qui hanc rerum renovationem absolverunt, in commune conspirasse ut

(1) Cf. Cousin. Œuvres inédites d'Abélard. Introduction.

philosophia Laudunensem magistrum jure sibi vindicet.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VII kal. febr. ann. MDCCCXCV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. HIMLY.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX LIBRORUM

Abaelardi (Petri). — Opera apud Migne, Patr. lat., t. 178.

Acherii (L.). — Notæ et observationes ad Guiberti opera leguntur ad calcem libri cui adscribitur titulus : Guiberti de Novigento opera; Lutetiæ Parisiorum, 1651. — Spicilegium aliquot veterum scriptorum, Parisiis, 1723. 3 vol. in-fol.

Anglia sacra. — Londini, 1691, 2 vol. in-fol.

Anselmi Cantuariensis. — Opera. Edidit D. Gerberon, 1 vol. in-fol., Parisiis, 1675.

Anselmi Laudunensis. — Enarrationes in Cantica Canticorum, in Matthæum, in Apocalypsin; ap. Migne, Patr. lat., t. 162. — Epistola ad Heribrandum, ibid. et ap. Guib. oper., ed. Acher., p. 642. — Glossa interlinearis ap. Glossam ordinariam, Antuerpiæ, 1634, 6 vol. in-fol.

Baronii. — Annales ecclesiastici cum Pagii notis, Antuerpiæ, 1705, in-fol.

Bellotte (Ant.). — Ritus Ecclesiæ Laudunensis. 1 vol. in-fol. Parisiis, 1662.

Bulæi (Eg.). — Historia Universitatis Parisiensis. 6 vol. in-fol., Parisiis, 1665.

Canonici anonymi Laudunensis Chronicon, ap. Acherium. inter Notas et observ. ad Guibertum legitur, ad calcem

Operum Guiberti de Novigento. 1 vol. in-fol, Lutetiæ Parisiorum, 1651.

Chasles. — Aperçu historique sur l'origine et le développement des méthodes en géométrie. 1 vol. in-4°; Paris, 1875.

Cousin (V.). — Ouvrages inédits d'Abélard, inter Documents inédits sur l'Histoire de France. 1 vol. in-8°, Paris, 1836.

Denifle et Chatelain. — Chartularium Universitatis Parisiensis, t. I, Parisiis, 1889.

Florival (A. de). — Etude historique sur le xii^e siècle. Barthélemy de Vir, évêque de Laon. 1 vol. in-8°, Paris, 1877.

Guiberti (V.), Abbatis B. Mariæ de Novigento.— Opera, curante D. Acherio (d'Achery), edita. 1 vol. in-fol.; Paris, 1651.

Hauréau (B.). — Histoire de la philosophie scolastique. 3 vol. in-8°, Paris, 1872-1880. — Notices et extraits des manuscrits latins de la Bibliothèque nationale, 6 vol. in-8°; Paris, 1890-1893.

Hermanni Monachi. — De miraculis B. Mariæ Laudunensis libri tres., apud Guiberti de Novigento opera. 1 vol. in-fol., Lutetiæ Parisiorum, 1651.

Histoire littéraire de la France. Paris, in-4°.

Joannis Sarisberiensis. — Opera, ap. Migne, Patr. lat., t. 199.

Luchaire. — Louis VI le Gros. Annales de sa vie et de son règne. 1 vol. in-8°, Paris, 1890.

Mabillon. — Vetera analecta, Parisiis, 1723. 1 vol. in-fol. — Annales ordinis S. Benedicti, Parisiis, 6 vol. in-fol.

Marlot. — Metropolis Remensis historia, Insulis, 1666, 2 vol. in-4°.

Martenne. — Thesaurus novus anecdotorum, Lutetiæ Parisiorum, 1767, 5 vol. in-fol. — Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectio, Parisiis, 1724, in-fol.

Morini. — De pœnitentia, 1561, Parisiis, 2 vol. in-fol.

ORDERICI VITALIS. — Historia ecclesiastica; ap. Migne, Patr. lat., t. 188.

OTTONIS FRISINGENSIS. — De rebus gestis Friderici et Chronicon, Basileæ, 1569, in-4°.

PASQUIER ETIENNE. — Recherches de la France. Paris, 1665, in-fol.

PETRI CANTORIS. — Verbum abbreviatum; ed. G. Galopino, Montibus 1639, 1 vol. in-4°; ap. Migne, Patr. lat., t. 205.

PEZ. — Thesaurus novissimus anecdotorum; Augustæ Vindelicorum et Græcii, 1721, in-fol.

RÉMUSAT (CH. DE). — Abélard; 2 vol. in-8°, Paris, 1845.

RERUM gallicarum et francicarum scriptores. Parisiis, 1738, 22 vol. in-fol.

ROBERTI DE MONTE. — Accessiones ad Sigebertum, ad calcem operum Guiberti de Novigento, curante Acherio : leguntur etiam apud Rerum gallic et francic. scriptores, t. XIII.

RUPERTI TUITIENSIS. — De voluntate Dei liber unus. — De omnipotentia Dei liber unus. — Super quædam capitula regulæ Divi Benedicti abbatis (vulgo In regulam D. Benedicti) libri quatuor. Hæc opuscula continentur in tomo CLXX Patrologiæ, curante J. P. Migne editæ, Parisiis, anno 1854.

SAVIGNY (DE). — Histoire du Droit romain au moyen âge, traduct. Guenoux, Paris, 1839, 4 vol. in-8°.

THUROT. — Organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge. Paris et Besançon, 1850, in-8°.

INDEX CODICUM

E QUIBUS EXCERPTI LOCI IN HOCCE LIBRO LAUDANTUR

ANONYMI. — Historia urbis Laudunensis, in Bibliotheca ejusdem civitatis, nº 483.

ANONYMI. — Historia urbis Laudunensis, ibidem, nº 549.

BUGNIATRE (D. GÉDÉON). — Histoire de Laon (octavo decimo sæculo scripta). Bibliothèque nationale, fonds D. Grenier, nºs 264, 265, 266, Parisiis.

ELEU (CLAUDE L'). — Histoire de la ville de Laon (octavo decimo sæculo scripta, nunc apud familiam l'Eleu de la Simone, Ambiani, servata).

Epitaphia Anselmi et Radulfi in Codice nº 13089, Bibliothèque nationale, Parisiis.

Eadem epitaphia in Codice Suessionensi, nº 24.

RADULFI LAUDUNENSIS. — Liber de Abaco ; Bibliothèque nationale, nº 15120, Parisiis.

Alii Codices, in quibus leguntur opera Anselmi et Radulfi, describuntur in quinto capite hujus libri

TABULA

MEDIOLANI AULERCORUM, EX TYPIS C. HÉRISSEY